



Historiæ Societatis Jesu Pars ...


Complectens Res Gestas Sub Mutio Vitellescho ... Ab Anno Christi MDCXVI.
Societatis LXXVII. / Auctore Julio Cordara Societatis Ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCL

Historiæ Societatis Jesu Partis Sextæ Liber Sextus Annus Chr. 1621. Soc.
82.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98108](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98108)



HISTORIÆ

SOCIETATIS JESU

PARTIS SEXTÆ

LIBER SEXTUS

ANNUS CHR. 1621. SOC. 82.



NEUNTE anno sæculi vigesimo primo, Pontifex Paulus V. sollicitam habuit Societatem de suo Præposito, quem certis auctoribus ferebatur in ordinem Purpuratorum primo quoque tempore relaturus. Mentio hujus rei fieri coeperat fere ante annum, sed vox ut temere ex vulgi opinionibus nata hæcenus contempta fuerat. Nunc autem rumor urbe tota adeo invalescebat, ut multi rem pro confecta haberent. Jam primores aulæ Mutio tanquam Cardinali designato gratulatum veniebant. Hinc apud nos perturbatio non levis. Periculosum namque erat exemplum Præpositi Generalis ad amplissimam dignitatem assumpti, & merito timebatur, ne eo tota Societas offenderetur. Mutius, ne quid temere susciperet, rem totam ad consilium Assistentium referendam censuit. Professus vero se in eorum potestate futurum, nihilque nisi ex ipsorum consilio moturum, ex conventu discessit. Multa inter Assistentes ultro citroque jactata fuerunt. Denique hæc communi consensu decernuntur. Primo, ut cunctis in communi sociis indicantur preces, tanquam in negotio maximi ad rem Societatis momenti. Deinde, ut Mutius, consistorio imminente, secedat paululum in unam aliquam ex suburbanis villis, loco nemini indicato: quod ita fieri placebat, ne, quod olim Cardinali Bellarmino contigerat, simul nuncio dignitatis, & accipiendæ præcepto opprimeretur. Postremo, ut exploretur Pontificis animus, & ubi opus sit, tententur cætera, quæ ad dimovendum ipsius animum apta videantur. Curam istam in se recepit Assitens Gallicus P. Christophorus Balthasar, satis cateroqui gnarus agi rem lubricam, ancipitemque, & cui illud periculi suberat, ne intempestiva deprecatio honoris, quem nemo obtulerat, ludibrium aulæ, & risum urbi daret. Sed nihil adeo difficile, quod prudentia non temperet. Balthasar, ut erat Cardinali Bonzio intime familiaris, huic omne negotium arcano committit: ejusdem operam, si quam asserre possit, implorat. Ille operam suam pollicitus, quasi tentandi vadi causa, Pontificem adit paulo ante consistorium: metum Societatis exponit: rogat obtestaturque, ut si forte Præpositum Societatis inter Cardinales mox creandos conjecisset, abstineat beneficio, quod ordini un-

verso

1.
RES ROMANÆ.
Paulus V. de Mutio in collegium Cardinalium cooptando deliberat.

2.
Quid consilii ceperint nostri ad periculum avertendum.

3.
Removetur ab ea deliberatione Pontifex.

4.
Idem periculum sub Gregorio XV. sed sine effectu.

5.
Mors & elogium Ven. Roberti Bellarmini Cardinalis.

6.
Summa ejus vite, & rerum gestarum.

verso moerorem ac detrimentum esset allaturum. Respondit Pontifex, sibi quidem Mutium Vitelleschum honore purpuræ dignum videri: sed quando eam rem Patres Societatis ut sibi damno futuram respuerent, nolle se de illo secus constituere, quam ipsi optarent. Non vanam fuisse nostrorum suspicionem, postea compertum est. Narrabat Pontificius caremoniarum magister Paulus Alaleonus, visam sibi schedam Cardinalium recens creatorum, in eaque Mutii nomen expunctum manu Pontificis. Ita periculum tunc quidem vitatum est, sed non propulsatum omnino. Moritur iv. Cal. Februarias, intra vigesimum diem a Cardinalium creatione, Pontifex Paulus V. Ei post duodecim dies substituitur Cardinalis Alexander Ludovisus, Gregorius XV. in Pontificatu dictus. Ecce autem sub novo Pontifice deliberatio eadem reviviscit: quodque gravius, infligere Societati vulnus gravissimum studet vir, cui in diligenda Societate paucos habeo quos comparem, quem præferam fortasse neminem. Fuit is Ludovicus Ludovisus Gregorii fratris filius, postea Cardinalis, qui cum de Mutio præclare sentiret, de ipso in collegium Cardinalium cooptando denuo sermonem intulit. Hanc sibi mentem, aiebat Ludovicus, fuisse injectam ab illo venerandæ memoriæ viro Fr. Dominico a Jesu Maria Carmelita exalceato, quem audisset aliquando cum diceret, tanto honore & munere neminem videri Mutio Vitellescho digniorem. Cumque apud patrum auctoritate & gratia posset longe plurimum, facile illum suam in sententiam traxit. Sed dum res, nescio qua causa, longius trahitur, periculum tertio post anno iterum dispulit mors festinata Gregorii. Ajunt, tunc etiam cum Pontifex supremum ægrotaret, instituisse apud illum vehementer Cardinalem, ut suppleret sacri collegii numerum novo Purpuratorum delectu, quodque de Mutio Vitellescho agitatum sæpe fuerat, tunc demum perficeret: at negasse Pontificem, rem tantam tali suo tempore convenire: facturum tamen adpromisisse, si quando ex morbo recreatus, vicens & valens in consistorio confidere potuisset. Eo quidem certe vita functo, ab ejusmodi sollicitudine ac metu Societas respiravit.

Sed quo maxime tempore Patres servatum sibi suum Præpositum, oclusumque vetito honori ostium gratulabantur, accidit ut sibi, & Ecclesiæ universæ ereptum dolerent Robertum Bellarminum Cardinalem, virum illum, non tam ordinis dignitate, quam virtutum magnitudine inclytum, cujus celebrius est nomen, quam ut ulla commendatione litterarum indigeat. Sane Bellarminus, sive morum & vitæ sanctitas, sive doctrina & eruditio spectanda sit, utraque laude floruit inter præstantissimos ætatis suæ: Societatem vero nostram ita illustravit, ut nemo omnium magis. Ac de doctrina quidem, & copia litterarum nihil amplius dicam, nisi quod magnus ille Pontifex, & hominum rectissimus æstimator Clemens VIII., cum statuisset Bellarminum sacro Cardinalium collegio aggregare, dum ad venerabiles fratres suos de more proloquitur in consistorio, hunc a se fuisse delectum hominem pronuntiavit, propterea quod *parem doctrina virum id temporis non haberet Ecclesia Dei*. Ipius vero sanctitatem satis superque æstimare licebit ex eo, quod jamdiu apud Apostolicam sedem instituta sunt acta solemnia ad eundem sanctorum albo transcribendum: dumque hæc scribimus, ad eum locum provectora est causa, ubi non vana spes optati eventus ostenditur. His ergo leviter indicatis, nos Bellarmini duntaxat vitam per summa capita percurremus. Longiorem historiam siqui volent, adeant Danielem Bartolum, aliosque, qui de venerabili viro fufe, & ex professo scripserunt. Illustri admodum genere natus est Bellarminus in monte Politiano, quæ civitas Hetruriæ est nobilis, & antiqua. In paterna domo liberaliter educatus, Societatem iniit Romæ, ætatis anno duodevigesimo. Exacto tirocinio, philosophicis studiis operatus est in collegio Romano, theologicis Patavii: Florentiæ, & in monte Regali subalpinorum humaniores litteras docuit. Hinc Lovanium traductus, in illo sapientiæ domicilio plures annos divinitatis arcana explicavit, eodemque tempore concionandi munus exercuit tam secunda fama, ac tanta omnium approbatione, ut ad eum audiendum ipsi ex Hollandia Angliaque con-

flue-

fluere heterodoxi. Romam inde est revocatus, ubi controversias fidei cum tradidisset, suos illos edidit celebratissimos controversiarum libros, multorum, qui deinde in eodem genere prodierunt, librorum fontes, ac velut armamentaria totidem contra hæreticos, quibuscum nemo post illum nervosius felicifque sapientum iudicio decertavit. Henrico Cardinali Cajetano in Galliam legato comes additus, ardua legationis negotia dexteritate summa prudentiaque tractavit. Ex Gallia regressus Romam, variisque apud nos magistratibus cum laude perfunctus, vir demum immortalibus in Ecclesiam meritis sacra purpura donatur quantumvis invitus, & Capuæ Archiepiscopus renunciatur. Eum tamen abesse Roma non tulit Pontifex Paulus V., aperte affirmans, ad christianam rempublicam administrandam sibi opus esse Bellarmini consiliis. Ergo ab urbe Capua, ubi debebat, Romam venire iubetur denuo. Ille ita Pontifici paruit, ut simul suam opulentam Ecclesiam, frustra complorantibus Capuanis, & pastorem optatissimum retinere conantibus, in perpetuum dimitteret. Nullis enim neque precibus, neque rationibus sibi persuaderi passus est, ut præesse gregi pergeret, cuius non posset faciem intueri, & vocem audire. Quod vitæ reliquum habuit Romæ, publicis Ecclesiæ negotiis totum impendit, particeps curarum omnium, quæ sane graves in illa tempora inciderunt: eaque causa in ædibus Vaticanis prope Pontificem habitavit. At demum ætate gravis cum esset, annos quippe natus septuaginta novem, & valetudine parum firma, sentiens abesse propius supremam diem, secessit in Quirinalem tironum domum, ubi soli jam sibi ac Deo vacans, vitam præclare actam felici exitu absolvit xv. Cal. Octobris. Ut viventem imi pariter ac summi, tanquam unum ex priscis illis Ecclesiæ Patribus, intueri consueverant, ita mortuum publicus dolor, & communis omnium ordinum mœror est consecutus, nec ferme ullus Romæ per eos dies sermo frequentior, quam de Bellarmini virtutibus fuit. Erat in ore multorum viri summa facilitas in admissionibus, audiendi patientia, in causis cognoscendis labor, æquitas in iudicandis. Prædicabant alii firmitatem animi vere sacerdotis, qua in Apostolico Senatu nulla actus cupiditate, nullo cohibitus metu sententias ex vero rectoque pronunciaret. Plures referebant, quanta semper abstinentia Ecclesiæ bona tractasset, quam parum inde sibi, quam nihil suis, quam multa pauperibus tribuisset. At quibus erat intime notus, hi maxime commendabant ejus innocentiam a prima usque pueritia incorruptam: tum animarum, ac divinæ gloriæ studium inexplebile, usum orandi assiduum, voluntarias corporis afflictiones, quod denique mirari nemo satis poterat, animum de se ita demisse sentientem, ut vir omnium iudicio summus, se suaque omnia in postremis haberet. Sepultus est in Farnesiana Basilica ad dextrum aræ maximæ latus, cum insigni mausoleo, quod amico & collegæ suo carissimo Odoardus Farnesius Cardinalis extruxit.

Amisisti Bellarmini mœrorem ac desiderium ex parte lenivit alterius Cardinalis insperata transitio ad Societatem. Alexander Cardinalis Ursinus, vir genere, ætate, opibus inter Purpuratos apprimè florens, cum Bellarminum semper antea in parentis loco coluisset, ut de ejus obitu accepit in Æmilia (quam provinciam Legatus Pontificis obtinebat), exarsit sanctioris vitæ desiderio, ejusque mores, atque instituta imitari, si non ex toto, at saltem quatenus pateretur ratio conditionis suæ, constituit. Eo consilio litteras manu sua dedit ad Mutium, quibus, post solemniam salutationis officia, hæc totidem verbis subiciebat: „ Cardinalis Bellarmini jam cælo fruētis obitus fecit, ut ipse me respicerem paululum per hos dies, & magno pudore perfunderer. Equidem cum illo comparans me, & meam cum illius virtute socordiam, hæc mecum ajebam. Bellarminus annos quatuor supra sexaginta sanctissime vixit in ordine religioso: ego ad eundem ordinem olim haud obscure vocatus, Deo vocanti parere nolui. Ille, & Jesuita primum, & deinde Cardinalis, semper omnibus exemplo ad virtutem, & incitamento fuit: ego contra, & Clericus, & Cardinalis fui sæpe quamplurimis offensionem. Ille tot ingenii dotibus clarus, in tanta copia doctri-

7.
Quantum sui desiderium, & quantam virtutis opinionem reliquerit.

8.
Alexander Cardinalis Ursinus in Societatem cooptari postulat.

9.
Ejus ad Præpositum Generalem litteræ.

,, nã, in tam excellenti sanctimonia de se sentiebat humillime : ego nullius in-
 ,, genii homo, omni carens litteratura, nihilque verã pietatis affecutus, animo
 ,, inaniter elato superbissimos spiritus gero. Ille denique, quamdiu vixit, nullum
 ,, finem laborandi pro divina gloria fecit : ego ad hanc usque diem tempus otio-
 ,, se consumpsi. Quarenti vero mihi tot malorum meorum causam, occurrebat il-
 ,, lico contumacia, qua olim ad Dei vocem absurdum, cum me vocaret ad Socie-
 ,, tatem. Quantum hinc doloris & tristitiã sensum hauserim, ipse reputes velim.
 ,, Illa me præsertim res angit vehementer ac cruciat, quod mihi jam non est in-
 ,, tegrum huic tam funestã agritudini meã ex toto mederi. Nam quod unum,
 ,, prodesset, religiosum statum inire, id ne cogitare quidem audeo, partim hoc
 ,, in quo versor dignitatis gradu, partim tempore ipso mentis, & enixe a Paternitate tua,
 ,, ritis. Unum superest, quod & magnopere exopto, & enixe a Paternitate tua,
 ,, peto, ut quemadmodum quibusdam aliis Apostolus *lac potum dedit, non escam,*
 ,, ita tu imbecillitati meã serviens, me, non quidem in sinum Societatis, sed in
 ,, ejus saltem clientelam recipias. Atque ut aperte loquar, summa petitionis meã
 ,, est, cooptari in vestrum ordinem, vobisque conjungi (quantum status mei
 ,, ratio patitur) singulari quodam modo, & vinculis quam arctissimis. Mihi qui-
 ,, dem nihil posthac erit in bonis animi & corporis, nec in rebus externis, quod
 ,, paratus non sim pro vobis dare in omnem casum, ita prorsus ac si esset om-
 ,, nino Societatis, & tuum. Hanc voluntatem valere mihi velim pro solemn-
 ,, i paupertatis voto. Quod ad alterum castimonie attinet, in eo dabo operam ut
 ,, videar filius Societatis, & vere sim. Quamquam autem annum ætatis duode-
 ,, trigesimum nondum egresso longa fortasse restet via, quamquam sæpe per la-
 ,, brica incedendum sit, multaque subinde obversentur plena periculis pluribus,
 ,, & occultis, nihil tamen est quod vinci Deo adjuvante non possit. Tuis ego sa-
 ,, ne, ac tuorum precibus multum tribuo. Restat dicere de tertio obedientie vo-
 ,, to. Hoc genere virtutis præcellere vestros homines scio. Hoc ego maxime vi-
 ,, deri volo de Societate. Nosti Reverende Pater, quanta hætenus cum fiducia in
 ,, omni re consilia exquisierim tua. Jam scito esse mihi in animo, non consilia
 ,, in posterum a te accipere, sed imperia, inque his obedienter exequendis om-
 ,, nem operam ponere. Ita demum mihi videor suppleturus saltem ex parte,
 ,, quod me pudet ex toto non antea perfecisse. Nunc igitur quæso te etiam at-
 ,, que etiam, Reverende Pater, ut mihi quantumvis immerenti conficias diploma
 ,, cooptationis, quod diploma signari velim die festo SS. Chrysanti & Dariae.
 ,, Ad eam quippe diem ego conscientiam diligentius recognoscam, & noxarum
 ,, omnium confessionem repetam a novissima, quam circa initium anni labentis
 ,, peregi. Hæc ipsa dies est, ut bene memini, qua plures ante annos parentem
 ,, meum rogavi Societatis ineundæ veniam. Una cum diplomate perscribi mihi
 ,, velim ordinem agendæ vitæ ad formulam vestra domesticæ disciplinæ : nec ta-
 ,, men id a te fieri postulo, quem plus nimio occupatum scio, sed a tuorum
 ,, quopiam, cui, si tibi videbitur, id negotii dabis. Curabis etiam suis tempo-
 ,, ribus, ut ad me transmittantur schedulæ cum nominibus sociorum, qui subinde
 ,, morientur, ut sacra pro illis faciam, quæ pro defunctis fieri a Sacerdotibus in
 ,, provincia solent, ac porro debent. Nam, ut omnia verbo dicam, volo post-
 ,, hac a te, & ab universa Societate haberi, non pro Cardinali, sed pro uno de
 ,, numero sociorum. Mitto schedulam impressam, in qua describas cooptationis
 ,, meæ decretum. Schedulam eandem ego includam libello precum, quem semper
 ,, habeo apud me. Hanc epistolam erit arbitrii tui cum quo communices. Tan-
 ,, tum oro, ut quantulumcunque istud est quod tibi offero, ac dedo, benigne
 ,, recipias. Non sane multum inde Societas lucrabitur : at magnum ego certe
 ,, emolumentum capiam. Tu vero Christum Jesum imitabere, qui *non venit voca-
 ,, re justos, sed peccatores*. Hæc ille : quibus ad calcem ita subscriptum : *Qui fe-
 ,, ri optat frater ac filius, Alexander Cardinalis Ursinus*. Schedulam addidit sua
 ,, pariter exaratam manu, qua rogabat custodiri epistolam, ut esset perenne sui
 ,, erga nos animi testimonium. Quod ad rem attinet, talis viri tam piis & justis

votis refragari non licuit. Mutius igitur Alexandrum Ursinum Cardinalem, modo quo petierat, in nostrum ordinem cooptavit, & exinde in familia Romanæ Professorum domus censeretur iussit.

Verum tanti viri accessio ad Societatem non absterisit omnino dolorem sane gravem, quem toti creavit Ordini iactura eodem anno facta in Ven. juvene Joanne Berchmans. Hujus nomen ipsum juvenis pro elogio longe maximo est. Usus obtinuit, ut passim juvenis intemeratus, juvenis angelicus vocitetur. Cum operaretur philosophiæ in collegio Romano, sodales sibi redditum arbitrabantur Aloysium Gonzagam: adeo mores illius, & perfectionem omnem expresserat. Roman venerat ex provincia Flandrobeltica. Centum cum eo vixerant novitii in tirocinio Mechliniensi. Multo major sociorum numerus erat in collegio Romano. Omnes pariter testabantur, nihil sibi in illo notatum unquam fuisse, quod reprehendi posset, nihil mancum aut mutilum, nihil imo ad veram solidæque virtutis normam non exactum: non supervacaneam, aut parum consideratam vocem, non impetum animi, aut affectum repentinum, quales rationi vulgo præcurrunt, nihil demum quod vel minimum a virtute deflecteret. Ipse, quod magis est, Berchmans morti proximus Virgilio Cepario suo tunc rectori candide aperuit, in tali suo tempore magno sibi esse solatio, quod vitam in Societate actam memoria repetenti nihil occurreret, quo Deum O. M. aliquando sciens volensque offendisset, aut ullam quantumvis minimam legum nostrarum violasset. Deiparam sibi in parentem adsciverat adhuc puer, nec ullis satis explicari verbis possit, ut eam deinde coluerit, ut amaverit. Modestia plusquam virginali usque ad miraculum spectabatur. Sedens, stans, inambulans, frontem, oculos, & omnia membra corporis ita gerebat, ut non dubitarent nostri dicere, scriptas a B. P. Ignatio leges de modestia, si quo interirent casu, in Joanne reperiendas. Alii festive dicitabant, cujus coloris essent ejus oculi scire omnino neminem, quos nemo unquam vidisset. Romæ nunquam adduci potuit, ut nobilium hortos & villas, aut spectacula publica, vel pompam Legatorum, Principumve urbem apparatu magnifico subeuntium, & alia id genus videret, ad quæ visenda viri etiam gravissimi, præsertim advenæ, solent concurrere. Tantam ejus virtutem mira quædam dulcedo indolis, & nativa oris venustas non imitabili modo condiebat. Nihil illo adolescente, verecundius, nec tamen quidquam affabilius. Idem hilaris semper, & serius: illud cum gravitate, alterum sine tristitia. Nemini uni præ cæteris familiaris; ita tamen in omnes officiosus & comis, ut nemo quisquam in unum. Quamobrem dijudicari haud facile poterat, utrum sociis venerabilior esset, an carior. Ipse certe se ad omnium indolem miro quodam modo accommodabat: quod cum inter multos ingenio, natione, moribus discrepantes arduum sæpe ac difficillimum sit, ideo crebris sermonibus usurpabat hanc vocem: *Mea penitentia maxime est vita communis*. Obiit Idibus Augusti in collegio Romano, annum decurrens ætatis vigesimum tertium. Paulo ante quam moreretur, cum esset jam sacro perunctus oleo, sigillum Christi crucifixi Rosario implicuit. Mox utrumque libello nostrarum regularum imponens: *Hæc tria*, inquit, *sunt mihi carissima: cum his libenter morior*. Ita demum obiit, ut omnes pro certo sumplerint, immaculatum juvenem ad sedes beatorum, cum iis forsitan aliquando venerandum, evolasse. Communem hanc omnium persuasionem & spem multa divinitus ostensa confirmarunt. Quocirca Gregorius XV. P. M., bienio ab ejus obitu nondum elapso, quæstionem de ipsius virtutibus & miraculis habendam decrevit: quæ licet aliquandiu fuerit intermissa, postremis istis temporibus agitari denuo cœpta est, urgeturque nunc eo majori spe, quod multis & maximis beneficiis ejus ubique fama in dies singulos inlaret. Natus erat Joannes honestis parentibus ac piis Distemii, Brabantinæ ditionis oppido, anno superioris sæculi nonagesimo nono. Anno sequentis sæculi decimosexto inierat Societatem, in qua annos quinque confecit.

T. I.

N n 2

In-

10.
Admittitur
quo modo ad-
mitti Cardinalis
poterat.

11.
Mors & elo-
gium Ven. Jo-
annis Berch-
mans.

12.
Initia collegii
Spoletini.

13.
Quorum præci-
pue beneficia
erectum sit.

14.
RES PROVINCIÆ
MEDIOLANEN-
SIS.
Ut ejecta fuerit
ex Valle Tellina
Societas.

Inter hæc novum provinciæ Romanæ collegium dederunt Spoletini, qui cum semper antea a Societate, nescio quibus præjudiciis, abhorruissent, nunc per occasionem sacræ missionis adeo mutati sunt animis, ut res miraculo similis paulo diligentius exponenda videatur. Spoletium, urbem Umbriæ nobilissimam, coloniamque olim Romanorum ab Hannibale fugato celebrem, tres nostrorum venerant rogatu Episcopi Laurentii Castrucci. Ingratum sibi accidisse Patrum adventum, gravemque eorum præsentiam esse, non dissimulabant initio cives. Obloquebantur palam, ipsorum non congressum modo, sed aspectum etiam vitabant. Patres nihilominus suis fungi ministeriis exorsi sunt. Cum pergerent diu noctuque in templis, in foro, in viarum capitibus verba facere, aliæ paulatim hominum mentes, alii vultus. Hospitium ubi diversabantur, frequentari jam a nobilium ordine, aliis officii causa, aliis ad deponenda conscientiarum onera adventantibus. Populus eosdem per urbem incedentes magnis agminibus deducere, concionantes confertim audire, in tribunalibus poenitentiarum confidentes quodammodo obsidere. Tanta ad extremum facta inclinatio civitatis, ut qui nuper nostrorum nec nomen ferre poterant, nunc illos ægre dimitterent. Sic affectis facile persuasit Episcopus, præclare sibi suisque liberis consulturos, si collegium Societatis in sua urbe fundarent. Rem Magistratus ad consilium publicum refert. Secundissima approbatione relatio accipitur. Delingunt continuo e nobilitate viri graves, & idonei, qui negotium exequi marent. Ut vulgatum est istud Senatus consultum, vix credibile quanto urbem universam gaudio compleverit. Lætis faustisque acclamationibus viæ personuerunt. Fuerunt qui conceptam inde lætitiâ festis ignibus, tormentorum explosionibus, & expositis ad fenestras luminibus indicarent. Primus operi admovit Ruggerius quidam, humili ille quidem ortus loco, sed virtutibus inter paucos locuples, & omnium opinione sanctus. Is nuper sodalitiū crexerat Spoletii ab immaculato divinæ Matris conceptu nuncupatum. Sodalitiū civium permulti aggregaverant sese, ex eorumque largitionibus sacra ædes parata fuerat, & vectigal nescio quod constitutum. Ruggerius ergo, magis e re divina & bono publico futurum putans, si ædes illa cum suo qualicumque proventu ad faciendum collegii initium transferretur, id ipsum pro ea qua erat apud sodales auctoritate perficiendum curavit. At nimis multum adhuc ad rationem collegii deerat, nisi aliunde subsidium afferretur. Allatum est quam citissime. Audiit de positis collegii primordiis mercator honestus & opulentus Hieronymus Martellus, patria Spoletinus, qui Romæ tunc negotiabatur: eaque re plurimum delectatus, ædificationem domicilii provexit, ac fere ex toto perfecit. Præsentis deinde pecunia, & certis possessionibus attributis, vectigalia amplificavit, domum instrumento domestico, sacra suppellectili templum instruxit: diversis demum largitionibus nomen fundatoris obtinuit.

Dum hæc in provincia Romana gerebantur, Societas Mediolanensis in Volturenam, quam a Tellio oppido Vallem Tellinam vocant, feliciter remigravit. Jacet Vallis Tellina ad alpes Rhæticas: regio angustis inclusa finibus, sed mira soli fertilitate. Tria sunt vallibus oppida primaria, Morbenium, Pons S. Jacobi, & Sondrium. Tota regio fuerat olim in ditione Ducum Mediolanensium: Curiensibus deinde Episcopis in potestatem tradita fuerat: nunc Rhætorum, quos vulgo Grifones nominant, imperio tenebatur. Semper antea Vallinenses, quamvis accolarum plurimi ab Ecclesia Romana descivissent, catholicum cultum non minus pie quam fortiter retinuerant, donec in jus Grifonum traducti fuerunt. Tunc vero sensim deflectere ad hæresim cœperant, stimulos subjicientibus ministris Calvinianis, qui inter eos impune ac libere versabantur. Horum molitionibus cum resisterent valide operarii Societatis, quippe in oppido Ponte, neque hinc procul Bormii sedem fixam habentes, effecit ministrorum improbitas anno sæculi labentis duodecimo, ne resistere diutius possent. Subornato enim Senatu, edictum atrox abstulerunt, quo totius Gri-

Grifonica ditionis finibus Societati interdicebatur. Ita anno ante hunc nono, tum ex valle Tellina, tum etiam ex Bormiensi oppido nostri in exilium acti fuerunt. At cum usque ad hoc tempus exulavissent, ingens ex improvise facta est rerum commutatio, occasione qua dicam. Exarserat civile dissidium inter Grifones ex duarum familiarum certamine, quod paulatim gentem universam in cruentas factiones distraxit. Dum illi invicem odio ferroque dimicant, seque neglecta republica mutuis atterunt cladibus, Valtellinenses jamdiu eorum pertæsi dominatum, auctore ac duce Jacobo Robustello, conspirationem de excutiendo Grifonum jugo faciunt, & vicinos Bormienses in ejusdem societatem consilii trahunt. Dies erat xi. Cal. Augusti. Eo die simul omnes ex condito arma sumunt, præfectos regionis, & ministros hæreseos nihil tale metuentes invadunt, partim in fugam agunt, partim interficiunt. Una die, uno impetu patriam imperio Grifonum, & hæresi liberant. Conjunctionem occulte aluerat Laurentius de Figueroa Feriæ Dux, Prætor Insubriæ. Is vallem ut vidit vacuum, ac nullos habentem dominos, agmen expeditum ad eam occupandam mittit, populos in clientelam Regis Hispaniarum recipit, eosdemque suo liberatori Robustello regendos committit. Hæc anno proxime evoluta gesta. Quæ deinde secuta sint, hinc Grifonibus antiquum jus repetentibus, inde Hispanis populos, quos in fidem acceperant, defensantibus, non est instituti nostri perferbere. Quod attinet ad res nostras, Robustellus, alique gentis principes, triduo ante quam aperte rebellarent, P. Stephanum Menochium provinciæ Mediolanensis Præpositum de tumescente seditione curaverant admonendum, rogaverantque ipsum maximopere, ut mitteret confestim suorum aliquos, qui nutanti rei catholicæ subvenirent. Sed irritæ fuerant preces. Sentiens Menochius, obtentu religionis illud quæri præterea, ut sociorum auctoritate populus in defectionis consilio confirmaretur, postulata rejecerat, diserte negans pati se posse, ut quispiam de Societate vocaretur in suspicionem rei a suis institutis, & legibus alienissimæ. At post felicem conspirationis exitum, cum nullus relinqueretur ejusmodi suspicioni locus, pergerentque Valtellinenses operam Societatis exposcere, non ægre inducebat animum ut eorum votis annueret. Tamen sapienter existimans, Episcopum Novocomensem offendi posse, si Sacerdotes aliunde quam ab ipso peterentur (ad ejus quippe diocesim pertinet valles Tellina), rem omnem rejecit ad Antistitem, & ipsius arbitrio permisit. Eo deliberante, & moras necesse de industria, affectatam cunctationem præcidit homo militaris Hieronymus Pimentellus, supremus equitum Hispanorum præfectus. Dum enim in vallem Tellinam proficiscitur cum exercitu, expeditionis comitem habere voluit P. Horatium Torellum, quo conscientiæ arbitro utebatur. Torello, ne sine socio esset, comes est additus P. Petrus Franciscus Reyna. Atque ita primi de Societate duo isti Patres vallem Tellinam, communem utriusque patriam, post novem annorum exilium feliciter reviserunt. Excepti gratulatione summa a popularibus, statim ad delenda quæcunque existerent hæreticæ labis vestigia animum adjecerunt, multaque a Calvinianis ministris male corrupta retingenda sumserunt: ut par esse videretur ex eorum adventu lætitia populi, utilitasque rei publicæ. Talia Robustellus, alique gentis primores cum perspicerent, de retinendis perpetuo Patribus deliberabant. Bormienses vero reddi sibi Societatis stationem pristinam optabant in tantum, ut ædes ipsas, quas ante exilium nostri possederant, publico ære redemerint, ac denuo Patribus habitandas obtulerint. At cum Grifones interea vallem armis repeterent, omniaque ad bellum, ad cædem, ad perturbationem publicæ rei spectarent, recte existimavit Mutius socios inde revocandos, ne odiosis suspicionibus vel inviti implicarentur. Et illi quidem, Præpositi Generalis mandata excusantes, cum bona omnium gratia excefferunt. At paulo post Pontanis Societatem reposcentibus nequaquam licuit obistere.

Jam ante collegium fuerat Ponte, ab Antonio Quadrio honestissimo cive fundatum. Collegium istud in ea quam dixi nostrorum proscriptione cum fuisset

15.
Valtellinenses
Grifonum jugum
excutiunt.

16.
Nostros expectunt frustra tumescente seditione.

17.
Duo nostrorum in Vallem Tellinam reducuntur.

18.
Mox revocantur jussu Præpositi Generalis.

19.
Collegium Pontanum restituitur.

set

set. amissum, cives, statim atque pulsi fuerunt heterodoxi; potestatem nacti habendi quos mallent sacrorum ministros, revocandos in urbem homines Societatis, iisdemque sumptu publico domicilium constituendum decrevere. Ipsa decreti verba subjicio, ut nostris incitamento sint ad gratiam perpetuo referendam hominibus amantissimis, & de nostro ordine præclare meritis. *Illustrissimam Societatem Jesu vocandam, amplectendam, omnibusque humana industria nervis sibi procurandam statuerunt, ut per ejusdem sanctissimæ Societatis præclarissima instituta universitas Pontis, finitimæque civitates fructum percipiant salutarem & maximum, quem toto orbi Christiano, ex quo exorta est, edidit.* Eodem decreto Pontani mittere constituerant ad provinciâ Præpositum delectos viros, cum amplissima potestate transigendi de conditionibus, quibus collegium essent habituri. Sed ne mitterent, justis de causis dissuasit Camillus Quadrius Clericus Societatis, qui tunc forte Pontem advenerat, ut parentis graviter ægrotantis desiderium expleret. Se quammoxx reverfurum ajebat Mediolanum: eundem vero se acturum de ea re cum provinciâ Præposito, perfecturumque ut collegium haberent conditionibus quam æquissimis. Illi interim ut necessaria providerent, in omnem partem se vertere. Præter alia, corrogare a singulis, quantum quisque de suo collaturus esset ad ædificium censumque collegii. Confectum brevi, partim numerato, partim æstimatione, ad quatuor aureorum millia, quibus adhuc plura erant in spe. Nec silenda liberalitas rusticorum, qui cum proprios non haberent fundos, tamen ne nihil pro Patribus in commune conferrent, ligna, & arenam collegio ædificando daturos sine pretio sponderunt. Consenserant præterea, alteras sibi decimas imponi, unde ingens frumenti copia quotannis collegio penderetur. Sed Quadrius, collaudata eorum voluntate, ne ullum de decimis decretum fieret, intercessit. Postremo designatur collegio extruendo locus totius oppidi commodissimus, qui si minus placeret Patribus, fore in eorum potestate aedes habitare quas mallent. His ex Quadrii relatione cognitis, nefas duxit Menochius tam justis, ardentibusque civium optimorum votis obsistere. Continuo Pontem ire jussit quos supra memoravi Patres, Torellum, & Reynam, quibus mox rogatu civitatis etiam ludimagistrum adjunxit. Factum probavit Mutius, novamque sedem Pontanam, etsi censu adhuc angusto, in collegium recipiens, scripsit ad Provinciam, condonandum esse aliquid tam insigni Pontanorum benevolentia, perindeque ut in Indiis, ita in valle Tellina multa esse negligenda eorum, quæ ad commodam collegiorum institutionem alibi curari solent.

20.
Studia civium erga nos per hanc occasionem ostensa.

21.
Fundatur collegium Societatis Savonæ.

In idem interea tempus inciderunt collegii Savonensis initia. Savonæ, quæ notissima civitas est oræ Ligusticæ, ortus erat locuples negotiator Julianus Buchonius, sed in Sicilia mercaturam faciendo consenuerat: ita autem operam augendæ rei dederat, ut simul pietatem eximie coleret. Cum nullos haberet liberos, quos bonorum suorum hæredes institueret, præclare se consulturum putabat civium suorum commodo, si Societatem in patria collocaret. Dedit ergo ante annum litteras ad Savonensem magistratum (Seniores vocant), deliberatum sibi esse significans, si cum bona civium venia liceret, in communi patria collegium Societatis condere. Acceptum est cum actione gratiarum quod a Buchonio offerebatur: nec ita multo post de ipsius morte nunciatum est. Savonæ jus dicebat hoc tempore pro republica Genuensi vir nobilissimi generis Marcus Antonius de Auria, qui pro ea quæ erat in nostrum ordinem voluntate, præcipuum præturæ suæ fructum putabat, quod se prætor Societatis Savonæ domicilium figeret. Civitati proinde stimulos subjiciebat, ut rem exequi maturaret. Nihil moræ fuit ex parte civitatis. Initio hujus anni Seniores rogabant Mutium per litteras, ut accepto testamento Buchonii nuper in Sicilia mortui, mitteret continuo Savonam suorum aliquos, per quos condendi collegii initium fieret. Si minor esset hæreditas, quam ut ad aptam ejus institutionem sufficeret, suppleturos ajebant de suo cives, qui domum Societatis in loco beneficii longe maximi ponerent. Morem Savonensibus geri jussit Mutius, ejusque auctoritate

tate missi illuc sunt eodem anno Sacerdotes duo, ac totidem latinitatis magistri, qui novæ sedis possessionem caperent. At enim magistri parum absuit quin protinus revocarentur, cujus rei hæc fuit causa. Statio Savonenfis, etsi censu justo dotata, nihil adhuc percipere certi proventus poterat ad alendam familiam; quippe fructus hæreditatis in liberandis ipsius bonis, & ære alieno dissolvendo impendebantur. Cum id vulgo notum esset, promiserant initio aliqui civium in alimenta magistrorum pensionem annuam, toto biennio persolvendam. Nunc vero, ut fidem liberarent suam, domos singulas concursabant, & ubicunque adolescentes invenerant Societatis gymnasio addictos, certum pecuniæ numerum, quasi mercedem magistris debitam, imperabant. Non ignorabant de hac pecuniarum exactione Patres: nihil tamen movere contra audentes, connivebant quodammodo. Demum, ut in re dubia, Præpositi Generalis sententiam exquirere statuerunt. At Mutius, rem improbens vehementer, mirari se rescripsit, potuisse dubium videri quod in legibus Societatis apertissimum esset. Nisi aliter sustentari possent magistri, omnino esse dimovendos. Prius occulendas scilicet scholas, quam solvendam legem inter nos facerrimam, qua jubemur dare gratis quæ gratis accepimus. Sic ille ad normam juris, qua metiri omnia solebat. Verumtamen Provincialis, ne Savonenfisibus ægre faceret, & scholas retinuit, & aliunde sumptus in alimenta magistrorum providit. Idem annus Pinarolensis collegii natalis fuit. Jacet urbs ad imas Alpium radices, amplitudine & frequentia, ut tunc erat, nulli subalpinarum secunda. Cives, licet accolis ad novas hæreses passim inclinantibus, catholicæ professionis retinentissimi erant, eamque ob causam maxime existere optabant unum aliquem, qui sedem apud se stabilem Societati daret. Cum nondum extitisset hætenus, neque facile extiturus in posterum videretur, re in communi deliberata, præstandos de publico sumptus familia Sociorum minimum quatuor decreverunt. Haud facile Mutius istiusmodi paucorum capitum domicilia recipiebat: tamen Pinarolensē non ægre admisit. Inde enim munitiorem videbat fieri civitatem adversus hæreticorum molitiones & fraudes, quibus ad hoc usque tempus feliciter resisterat. Ut deinde collegium Pinarolensē inter varias bellorum vices amissum receptumque fuerit, ut ad Lugdunensem provinciam translatum sit, ut postremo ad Mediolanensem redierit, suis infra locis narrandum erit.

Convertitur nunc in provinciam Venetam, ac primo exponendam loco sumimus rem momenti gravioris, prudenti consilio tentatam, quantumvis irrita. Societatem ex omni Venetorum ditione exulare iussam fuisse, narratur fuisse a Juvencio in quinta parte. Jam ergo placuit experiri, si quo modo in eorum gratiam, & in pristinas sedes restitui posset. Vertebat annus exilii nostri sextus decimus, nec post redintegratam inter Venetos & Pontificem maximum pacem, quisquam ausus fuerat causam Societatis apud Senatum suscipere. Henricus Gallia Rex, omnia expertus frustra ut in conditionibus pacis comprehenderetur etiam Societas, nihil ultra super hoc negotio movendum statuerat. Pontifex Paulus V., ut rem maxime cuperet, tamen nondum satis maturam dicitans, infestam reliquerat. Multi sæpe domi forisque auctores fuerant Claudio, ut negotium suum ageret ipse per sese, & Senatus clementiam per litteras imploraret. Id eo maxime faciendum putabant, quod non deerant Venetiis qui Societatis silentium in sequiorem partem acciperent, & superbia verterent: quasi vero Jesuitæ, tot alibi Principum gratia florentes, parvi penderent quo demum loco essent apud Venetos, aut de rebus suis jactanter adeo insolenterque sentirent, ut rogari potius vellent, quam ad preces descendere. Mortuo Aquaviva, idem suadebant aliqui Mutio: idem illi Congregatio generalis nominatim injunxerat. Sed obstitit semper quamdiu vixit Pontifex Paulus V., unum esse se inquiens, a quo posset negotium illud confici, ac plane deberet. Nunc igitur Paulo e vivis sublato, ejusque in locum suscepto Gregorio XV., visum Mutio, non ultra differendam rem toti ordini optatissimam. Qualiscunque futurus tandem esset exitus, aliquid conari oportere. Multa porro ad bene spe-

22.
Stipendium pro
magistris exigi
Mutius vetat.

23.
Ortus collegii
Pinarolensis.

24.
RES PROVINCIAE
VENETAE.
Tentatur resti-
tutio Societatis
in ditionem Ve-
netam.

25.
Litteræ Præpo-
siti Generalis
ad Senatum.

26.
Senatus persistit
in priore sen-
tentia.

27.
Comaclenses
stationem tem-
porariam Socie-
tatis impetrant.

sperandum occurrebant. Primo novi Pontificis summa gratia apud Venetos: ejus deinde benevolentia erga Societatem eximia: postremo susceptum causa patrociniū a Ludovico Galliarum Rege, qui Hannibali Duci Estræo ad Italos Principes legato mandaverat, ut Venetiis ageret regio nomine in Senatu de revocanda in sedes pristinas Societate. Nec vero erat dubitandum quin Estræus, vir nostri ordinis studiosissimus, negotium a Rege injunctum serio perageret. Frater ergo tot tantisque bene sperandi caulis Mutius, re prius cum Assistentibus deliberata, Veneti Principis majestatem adiit per litteras, quarum hæc ferme sententia. Flagrans esse, & commune votum universæ Societatis famulari Reipublicæ serenissimæ, eique quibuscunque possēt modis obsequi. Manere quippe impressam omnium mentibus memoriam veterum beneficiorum, quibus Veneti Beatum Parentem Ignatium primo, & consecutis deinde temporibus ejus filios demeruisent. Ne hanc suorum voluntatem antea per litteras significaret, prohibitum se fuisse partim suo pudore, ac reverentia tanto Principi debita, partim etiam metu nescio quo, cujus nec leves essent causæ, nec occulta. Cæterum ex quo Societati præesse cœpisset, nunquam desisse, quarere, si qua pateret ad id præstandum sine nota temeritatis via. Patefactam eam denique sibi videri per clementissimas Gregorii Pontificis, & Christianissimi Regis commendationes. Sperare vero se, talium deprecatione & interven- tu Principum motum iri serenissimum Ducem, & amplissimos Senatores, ut quantumvis seram officii significationem humaniter suo more recipiant. Demum orare atque obsecrare, ne respuant tot religiosorum vota, quorum multi in ditione Veneta nati educatique sint, omnes operam suam, labores, & vitam ipsam impendere Venetorum obsequio cupiant. Hæc summa litterarum, quibus tamen nihil profectum. Lectæ fuerunt in Senatu litteræ. Corrogatis autem sententiis, placuit majori parti Senatorum, standum esse decretis ante annos sexdecim factis contra Societatem. Nihilo plus valere officia Ludovici Zacchiæ Episcopi Montisflaconis, & Hannibalis Estræi, quorum prior Pontificis, alter sui Regis nomine causam Societatis peroravit. Omnia permoverunt viri egregii, ut decreta illa abrogarentur, sed nullo effectu. Immotus ad omnia Senatus persistit. Causa repulsæ tam potentibus deprecatoribus datæ vulgo rejecta fuit in epistolam Veneti apud Regem Galliarum Legati, qua scribens ad Senatum, scire se aiebat, Ludovicum Regem, quæcunque oratori mandasset suo, fecisse impulsu Jesuitæ, quo utebatur a confessionibus: cæterum haud magnopere laborare, quid super eo negotio Venetiis decerneretur.

Sed quæ demum fuerit causa, repulsæ dolorem paululum minuerunt qui eodem tempore Societatem incredibili studio postulabant, Comaclenses, Carpen- ses, atque Plebenses. Comaclum, urbs haud ignobilis in Ferrariensi, cum pauciores haberet Sacerdotes, quam ut suorum civium & advenarum frequen- tiæ essent satis, coloniam Societatis flagitabat ardore tanto, ut nullam conditio- nem respueret. Comaclensium votis favebat Jacobus Cardinalis Serra legatus Fer- rariensis, proindeque negotium cum Generali Præposito per litteras conficiendum suscepit. At Mutius, qui obfirmasset parva hujusmodi domicilia non admittere, excusato apud Cardinalem animi sui proposito, tantum obtulit duos tresve Sa- cerdotes, qui Comacli ad præfinitum tempus degerent, & urbem interea usi- tatis ministeriis excolerent. Visi ad hæc acquiescere Comaclenses. Sane pro- statione perpetua, quæ negabatur, temporariam, quæ ultro offerebatur, libenti- ssime admiserunt. Ecce autem post sesquimensum instare denuo crebris apud Mutium litteris: vellet juberet sociorum mansionem Comacli stabilem ac perpetuam esse: daret id addictissimæ urbis desiderio, daret precibus civium, qui in ea re maximam partem publicæ felicitatis constituissent. His Mutius admo- dum officiosè respondit: sed tamen sententiam non mutavit. Quare Patres, post quinque circiter menses Comacli perquam utiliter positos, mœrentibus frustra civibus excefferunt. Pari Societatis desiderio tenebantur Carpen- ses, eamque ita sunt consecuti, ut quæ ibi statio per hoc tempus est posita, paucis post an-

annis ad justam collegii molem excreverit. Carpi, quod nobile oppidum est in ditione Mutinensi, natus erat insignis ille, ac memoriae semper colenda vir Bernardinus Realinus, cujus alibi obitum & sanctitatem commemoravimus: ferebaturque celebre ejus vaticinium, fundatum iri Carpi domicilium Societatis, postquam in eam tres fratris sui filii nomen dedissent. Oraculi partem unam, quae erat de fratris filii, jam pene eventus affirmaverat. Duobus enim Societatem ingressis, tertius adhuc puer passim profitebatur, se quoque illis adjungere velle. Pars altera de collegio Carpi erigendo, nemo dubitabat quin esset effectum similiter habitura. Sed civibus nostri ordinis cupientissimis longum videbatur opperiri diutius. Accidit ut Joannes Baptista Aquistapacius, civis Vicentinus, & Mutinensis Ducis primarius medicus, haereditatem suorum faceret Societatem ea lege, ut usufructus relinqueretur conjugii, tribusque filiabus, dum viverent, his vero mortuis, collegium Carpi conderetur. Longior hac visa civibus mora. Principi suo Caesari Mutinensium duci supplicavit, ut donec Patres haereditatem Aquistapacii accepissent, liceat sibi illis intra urbem locum dare, & subsidium annuum de publico constituere. Ad haec postulata, non solum annuit prolixè Princeps nobis addictissimus, verum etiam tanti se facere Societatem respondit, ut eam in suum quoque cubiculum, si res ita ferret, nedum in oppidum suae ditionis esset admissurus. Nec eo contentus, vota Carpensium talibus deinde provexit litteris apud Mutium, ut is, tametsi deliberatum haberet omnia paucorum capitum domicilia respuere, tamen validè petitioni tanti, atque ita de se meriti Principis morem gerendum existimaverit. Decernitur ergo residentia Carpensium, quae hoc anno cum latinitatis magistro posita, successu temporis ad collegii formam pervenit. Similis formae domicilium fuerat coeptum apud plebem Centi (oppidum id est Ferrariensis provinciae non contemnendum), sed dissimilis fuit exitus. Joseph Mastellarius, vir summæ inter suos auctoritatis, acris idem ingenii, & in agendo multum efficax, cum populares habendae Societatis desiderio incendiisset, tot institit apud Mutium, tum voce coram, tum per iteratas litteras precibus, ut demum in suam sententiam invitum nolentemque traxerit. Dati itaque fuerunt Plebensibus aliquot operarii cum ludimagistro, qui politiores litteras profiteretur: ea tamen praescripta conditio, ut nisi collegium intra quinque annos esset apto censu fundatum, nostri abirent. Haud facile explicari possit, quanta civium gratulatione excepti in illo oppido Patres, cultique fuerint. Vix usquam alibi domicilia Societatis commodius felicisque initium habuere. Unum curare videbantur omnes, ne quid deesset novis hospitibus, ne quid noceret. Officiis erga illos summi pariter infimique certabant. Quodque ad rem magis pertinet, non alios jam praeter eos habebant conscientiae moderatores, non alios sacrorum causa adibant. Una tantum re angebantur graviter, quod viderent, ad implendam de qua convenerat conditionem plus sibi voluntatis esse, quam virium. Hanc illorum sollicitudinem solus sublevabat Mastellarius: vir quippe magni animi, nihil desperandum, nihil non audendum putans, vias parandi census multas & varias inibat. Verum id agentem mors oppressit: quo sublato viro, cum reliquis facultas simul & spes perficiendae rei deesset, quinquennio elapso stationem dimissimus.

Provincia Sicula, praeter domestica quaedam funera, nihil hoc anno exhibet singulari memoria dignum. Duo praesertim desiderati sunt rei domesticae adiutores, Bernardinus Lasirica, & Michael Florius, quos Fratribus Societatis ad exemplum religiosae vitae proponimus. Lasirica, Pugnadae prope Miletum ortus in Brutis, annos omnino sexaginta quatuor apud nos ita vixit, ac si exers omnis humanae cupiditatis esset. Nullum ministerii genus, quod abjectum & laboriosum esset, refugiebat. Sutoriam, lignariam, murariam diversis temporibus exercuit: omnia cum approbatione domesticorum summa, neque patienti solum animo, sed etiam hilari libentique. Mundare quotidie post mensam patinas proprium sibi munus fecerat: solitus propterea peniculum e cingulo fu-

T. I.

O o

spen-

28.
Initia collegii
Carpensium. Vati-
cinium V. P.
Realini circa
illud.

29.
Singularis erga
nos benevolen-
tia Caesaris Mu-
tinensium Du-
cis.

30.
Inchoatur
in plebe Centi
collegium, &
mox dissolvitur.

31.
RES PROVINCIAE
SICULAE.
Mors & elo-
gium Fr. Ber-
nardini Lasiri-
cae.

spensum perpetuo gestare, quasi ministerii sui gloriosum insigne. Longævum, infirmumque præsidens iusserant labore illo abstinere. Lafrica ob eam rem auditus prope in morem pueri ejulare, ac plangere; ut misericordia fuerit revocare præceptum, quo ille uno in omni vita contristari visus, & rem adeo concupitam iterum optimo feni permittere. Domo nunquam efferebat pedem sua sponte, nunquam animi & voluptatis causa: idem tamen, si cuiquam eo comite opus esset, semper expeditus & promptus. Summa illi, ac fere assidua cum Deo mentis conjunctio. Inopia amor tantus, ut in vestitu nihil nisi obsoletum, ac vetustate detritum admitteret. Quadratum pileum Clericorum, propterea, quod audierat laicis minus apte congruere, etsi tunc liceret, nunquam adhibuit. Viri sanctitatem mirabantur externi pariter ac domestici, fueruntque non pauci, qui accepta a Deo beneficia ejus precibus retulere. Obiit in Panormitana Professorum domo VI. Cal. Junias, annos natus octoginta sex. Florius patria Catanensis, jam inde cum primum inivit Societatem, atrox sibi bellum indixit, quod ad ultimum usque spiritum continuavit, nullis unquam pactis induciis, nulla cessatione admitta. Quotidie se flagris immaniter diverberabat, Brevem carpebat somnum, eumque sedens plerumque, & indutus. Omni exquisitiore cibo abstinere, uti instituerat ab initio, ita perrexit usque ad extremum. Occubuit vero, ut militem fortem decet, armatus, & a conspectu recens. Eodem quippe obitus sui die, qui in Nonas Novembres incurrit, collectis quæ supererant viribus, flagello se cruentavit, neque se lecto prius abjecit, quam exinanitus esset omnino, & proxime moriturus videretur. Insigne cum primis est quod de ipsius abstinentia tradunt. Syracusis curandis prædiis cum fuisset adhibitus, pomarium in suburbano consevit lectissimis plantis: nullum tamen ipse pomum ex tam multis gustavisse unquam dicitur. Hac vite austeritate Florius innocentiam tutatus est; hac ad sublimiorem perfectionis apicem viam sibi communivit. Vir nullis excultus litteris, tantam ex assidua meditatione adeptus erat rerum divinarum scientiam, ut cum sermonem de illis instituebat, doctissimos quosque detineret, & multis partibus erudiret. Decessit Syracusis octogenario major: eademque hora visum e longinquo collegium collucentibus circum flammis ardere. Suprema funeris cives incredibili frequentia, ac publica sanctitatis acclamatione honestaverunt; certatumque est inter multos, ut ex ejus vestibus laciniam quisque decerperet.

^{32.}
Obitus & elogium Fr. Michaelis Florii.

^{33.}
P. Julii Mazarini virtutes, & quædam naturæ vitia.

^{34.}
Genuensium procerum gravis offensio ob ejus duritiem.

His adderem, nec immerito, P. Julium Mazarinum magni nominis concionatorem, nisi eximias ejus laudes nimia quædam asperitas in agendo, & affinis vitio durities ex parte corrupisset. Tamen, ut leves in magna luce maculæ facile condonantur, non alienum fortasse erit tam illustris viri vitia, quæcunque ea fuerint, virtutesque perstringere; illa ad documentum posteritatis, has ad commendationem ipsius. Nonnullis in Societate præfecturis perfunctus est Mazarinus: sed indolem nactus ferream, nullisque cujuscunque precibus, aut officiis flexibilem, ubicunque magistratum gessit, multos potentiorum offendit. Venerat initio Genuam cum potestate rectoris, habueratque a Præposito Generali mandata, ut decessorem suum P. Gasparem Loartem remitteret in Hispaniam. Loarte matronarum plurimæ utebantur a confessionibus: quæ veteri suo duce, & conscientia arbitro privari cum ægre ferrent, communes dederunt ad Mercurianum Generalem litteras, enixe rogantes, ut hominem sibi carissimum, ac porro utilissimum abire Genua ne pateretur. Simul Mazarinum obsecrant, ut illum remoretur paululum, donec saltem ab urbe Roma responsam perferantur, Negat homo austerus id licere, & Loarti nihilominus perfectionem indicit. Adsunt ex proceribus multi ac validi deprecatores: instant officiis, precibus, minis, ut paucorum dierum dilationem impetrent. Nihil flectitur. Quin in sententia obfirmatior, hoc magis Loartem ad discessum maturandum compellit. Paratam jam navim, & propediem vela facturam Genuenses portu egredi non sinebant. Ille aliam conducit magno pretio, & noctu Loartem dimittit, ignaris, invitisque omnibus. Pupugit indignitas rei Genuensem

sem nobilitatem. Nemo fuit, qui non vehementer stomacharetur, rectoremque nostrum rusticum plane hominem, & inurbanum diceret. Utque ita passim usuvenit, unius culpam, si maxime præses ille sit, in omnes ejusdem ordinis derivari, magna inde invidia Societati universæ conflata est, magna in templo nostro solitudo facta. Malo ut mederetur Præpositus Generalis, Mazarinum præfectura privavit, & ad conciones transtulit. Anni post hæc fluxerant ferme triginta, cum Claudius, mollitum ætate & rerum usu hominis ingenium putans, eum a concionibus revocatum magistratibus admovit rursus, & domui Professorum Panormitanæ præfecit. At quæ sunt naturæ vitia, non senescunt ætate, vix ulla diuturnitate temporis corriguntur. Mazarinus denuo potestatem adeptus, denuo ad eundem offendit lapidem. Erat Panormi Joanna Austriaca, recens Buteræ Principi nupta. Hæc unum aliquem e nostris Sacerdotibus postulabat, qui adiret subinde ejus domum, & familiam privatis concionibus excoleret. Mazarinus hæc illi totidem verbis renunciari a se jubet: patere omnibus templum Societatis, nec esse cur gravaretur accedere ejus familia, quo viri principes, quo matronæ regni primariæ quotidie ventitent. Repulsam, & illiberale responsum, ut pronum erat, indignissime tulit femina, magnarum opum, juvenis, & Caroli quinti neptis. Excanduit, & quamquam antea Societatis amantissima semper fuisset, aliam momento induens mentem, aversari coepit nostros in tantum, ut jam eorum nulli aditum ad se daret. Mazarinus ob eam rem male sibi metuens a Generali Præposito, magistratum ultro dimisit, & insula quam maturime cedens, Bononiam recepit sese, ubi quod reliquum fuit vitæ cum laude consumpsit usque ad Nonas Novembres anni labentis, quo die subita apoplexia correptus occubuit. Hæc si demas, quæ etiam si ex bona mente profecta, nec probari omnino, nec defendi possunt, Mazarinus inter præstantissimos sui temporis viros merito censendus sit. Eodem certe privato modestius nihil, nihil affabilius, aut religiosius. Oratoria laude ita florebat, ut ejus eloquentiam pleræque Italiæ urbes certatim expeterent, ac mirarentur, nec fere alium in dicendo parem invenirent. Multa illi cum summis viris necessitudo, cum ob morum integritatem eximiam, tum etiam ob quamdam in familiaribus colloquiis gravitatem jucunditate mixtam, quæ omnes mirifice capiebantur. Denique cum esset, non solum oris facundia, sed etiam libris editis apprime clarus, non sine Societatis damno ac mœrore finem vivendi fecit, anno ætatis suæ septuagesimo septimo. Panormi natus erat, ex ejusque fratre geniti sunt Julius ille Mazarinus, cujus notissimum ubique est, sed præsertim in Gallia nomen, & Michael Mazarinus, ambo S. R. E. Cardinales. Atque hæc de rebus Italicis.

Ad Polonicas transgredienti offert se primo beatus juvenis Stanislaus Kostka, cujus hoc anno sacrum caput ex urbe Roma in illud ejus natale solum delatum est. Deferendi quæ fuerint causæ, quæ inde secuta sit in rem Poloniæ publicam utilitas, paucis expediam. Sigismundus III. Rex, imminentes cum innumerabili exercitu, & in exitium Poloniæ conjuratos Turcas videns, ut humanis præsiidiis undique conquestis divina jungeret, postulavit a Præposito Generali caput beati juvenis, cujus faustum nomen ac patrocinium experta non semel erat Polonorum respublica. Negari non potuit quod a tanto Rege, in tanto discrimine, tam enixe petebatur. Pretiosum ergo pignus tradidit Mutius Regis Oratori, a quo summa susceptum pietate, summa quoque celeritate deventum est in Poloniam. Prius quam regni finibus exciperetur, ingravescebat in dies periculum a turcis. Eorum licet centena fere millia delevisset Ladislaus Sigismundi regis filius, & regni limen perumpere tentantes fortissime repulisset: idem tamen milite, annona, comæatuque destitutus, vinci ac perire intra biduum cogebatur, cum restarent adhuc recentes & integræ hostium copię ad trecenta minimum millia. In his angustiis, ecce tibi B. Stanislai caput Poloniæ fines intrat: eodemque tempore, mirum dictu! Osmanes Turcarum Imperator, qui non tam pugnæ, quam victoriæ, ut sperabat, futurus testis ac-

To. I.

O o 2

ces-

35.
Parem offensionem incurrit Panormi.

36.
Nonnulla de ejus laudibus indicantur.

37.
Res POLONIÆ.
Defertur in Poloniam caput S. Stanislai Kostka.

38.
In ejus adventu terga vertit Turcarum exercitus.

39.
Documentum
victoriæ Stanislai
patrocinio
relatæ.

40.
Ejusdem bene-
ficii monumen-
tum Cracoviæ.

41.
Transfertur Sta-
nislai caput Var-
saviæ.

42.
Quo cultu ha-
bitum deinde
fuerit.

43.
Puer mortuus
ad vitam revo-
catur ope S. Sta-
nislai.

cesserat, pacem ultro supplex à Polonis orat, de reditu paciscitur, ac terga vertit. Tam incredibilem rerum conversionem, tam inexpectatam & indecoram hostis superbi in tanta victoriæ facilitate fugam, beato Stanislao deberi agnovit omnis Polonia, nec obscure Deus ipse docuit. Sane eo ipso die, quo Turcæ de reditu pacti sunt (is erat vi. Idus Octobres) aliquot pii Sacerdotes, quorum exstant jurata testimonia, belli totius felicem exitum divinitus cognoverunt in hunc modum. Videre sibi visi sunt, hinc sparsim in ingenti campis ad oppidum Chozimum, ubi de rerum summa certabatur. Sublimis apparebat B. Virgo, splendenti veſta curru, & puerum Jesum complexa. Ad ejus pedes provolutus hærebat Stanislaus supplicantis ritu, oculos ad Virginem, dextram ad castra Polonorum intendens, & opem postulans: quem divinus puer ore lato, & prominentibus e materno sinu brachiolis aspectans, voti compotem facere videbatur. Hæc oblata Sacerdotibus species congruere omnino cum rei veritate deprehensa est, ita ut in eundem diem & visum, & victoria prorsus caderent. Quod ubi promulgatum fuit, continuo gratiæ solemnes Beato Stanislao persolutæ fuerunt: tota autem visio variis in urbibus ad documentum posteritatis depicta est. Exstat etiam nunc Cracoviæ in templo SS. Apostolorum Petri & Pauli, & magnificentissimo Stanislai sacello ingens tabula, eique subiectæ leguntur istæ voces rem totam explicantes. *Dum Osmanes Turcarum Imperator, insigni suorum clude ad Chozimum bello Dacico adactus, de pacis federe sanciendo cum Polonis hæreret, Beatissima Dei Mater, unicum Christiani nominis propugnaculum, cum infante Jesu rheda invehi conspicta est, præsentem Poloniæ opem allatura, supplicante coram B. Stanislao Kosika Societatis Jesu pro patria pene extremum tunc periclitante. Jam vero Sigismundo Rege cum universæ nobilitatis ordinibus ad castra sui exercitus procedente, dum hostis inglorius finibus excedere cogeretur, eo ipso tempore sacrum Divi hujus tutelaris caput alia regni parte in Poloniam communi omnium solatio inferebatur per Illustrissimum & Reverendissimum D. Achacium Grockorowski Episcopum Luceoriensem, Roma ab A. R. P. Mutio eidem Serenissimo transmissum.*

Neceſse non est enarrare fufius, quibus populi gaudiis, qua celebritate, Varſaviæ ad regni sedem perductum fuerit sacrum Stanislai caput. Occurrit ipſe Rex Sigismundus cum toto aulico comitatu. Ipſe Poloniæ patronum, ac liberatorem patriæ conſalutans, thecam rite obſignatam aperuit, exceptumque manibus caput venerans, primo osculatus ipſe est, deinde osculandum proceribus dedit. Paratum erat pretioſiſſimum, & affabre elaboratum ex auro caput, tot ornatum gemmis, tot unionibus diſtinctum, ut nihil vel regia pietas, vel dignitas tanti muneris poſſet optare ſplendidius. In eo Rex cariſſimum pignus juſſit includi, incluſumque, ac rite compoſitum ipſe in ſuo regali Varſaviæ ſacello collocavit. Inde illud efferebat quotannis, recurrente B. Stanislai feſto die. Aderat ſemper Sacerdos Societatis, noſtrorum ibi præſes, qui e Regis acceptum manibus imponebat aræ, & rem divinam auguſtioribus caremoniis faciebat. Sigismundus regali veſtitu amiçtus, ac Polona ſtipatus nobilitate, ſolemni ſacrificio intererat: quo peracto, ipſe omnium primus, deinde Regina, tum regii liberi, poſtremo Senatus cum aula univerſa, procedebant venerabundi ad propoſitum in altari caput, illudque pio ſingillatim osculo libabant. At quoties bellum ingrueret, non ante Rex induebat arma, & in hoſtem gradiebatur, quam ex illo capite auſpicium pugnandi, & omen victoriæ cepiſſet: futurum omnino ſperans, ut cujus opem præſentiſſimam ſenſerat contra barbaras vires ex Europa Aſiaque collectas, ac Poloniam inundantes, ejuſdem adverſus hoſtes minoris molis patrocinio fruereſetur.

Regis ac populi pietatem vehementer auxerunt innumera miracula, S. Stanislai deprecatione ac meritis hoc anno edita, quorum nos unum & alterum duntaxat ex ingenti acervo decerpimus. Poſnaniæ ludebat in ripa fluvii Wartæ, qui urbem perfluit, puerorum caterva. Ex iis Stanislaus quidam decem-

an-

annos natus, a socio impulsus, in flumen gelu constrictum decidit. Quo loco decidit, patebat hiatus ingens: glacies enim perrupta de industria fuerat ad hauriendam aquam. Quare puer abreptus subter glaciem longe processit, opem inclamantibus frustra fociis, & concursante ripam populo, ad illum, sicubi glacies dehiscens exitum aperiret, excipiendum. Jam horæ fluxerant tres, nec puer infelix usquam apparebat. Casu accidit, ut præterirent duo nostri litterarum professores. Exciti clamore, ad ripam populo conclamante ac miserante differantem advolant. Subiit illos pariter miseratio, eoque major, quod puerum esse lutheranum audiebant. Unus eorum tamen animosior, nomine Christophorus Chzastoroski, divino motus instinctu est, ut in genua procumbens hortaretur populum ad implorandam B. Stanislai opem, cujus patrocinio allatum iri puero salutem confidebat. Omnes continuo humi se abjicere, omnes B. Stanislauum auxilio vocare. Nondum finita prece, apparet pueri cadaver summa in aqua, stirpibus ac virgultis implicatum. Nam cum plurimi ripæ præterenti essent pali, ut aqua paulisper comperceretur, & ad versandas duas moletrinae rotas copiosior afflueret, illud impetus fluminis ad ipsas rotas violenter raptaverat, quibus non fuisse in frustra discriptum, comminutumque, omnes mirati sunt. At dum ad posteriorem rotam delabatur, hæserat majore retentum palo inter algam, & fruticeta. Eductum e flumine, & in ripa stratum contemplatus est diligenter medicus, & excussit: iis vero, a quibus trepide vocatus fuerat, succensens, mortuis opus esse dixit pollinctore, non medico. At religiosum Societatis, quem invocandi Stanislai auctorem fuisse dicebamus, fiducia non deseruit. Omnino speravit fore, ut qui beneficii partem unam dederat invento corpore, alteram quoque adjungeret, vita eidem restituenda. Urget circumstantes, ut B. Stanislao secum enixe supplicent, ab eoque pueri vitam exorent. Dum id maxime agunt, movet se repente cadaver, & vivere deprehenditur. Mox assurgens, vires pristinas, & valetudinem incessu, cæterisque signis minime dubiis testatur. Attonitus prodigio tam evidenti, cujus tot erant oculati testes, quot in ripa consistant cives, Martinus pater pueri lutheranus, concessit filio, & duabus ejus fororibus, ut catholicam deserto Luthero fidem sequerentur. Ipse, metuens ne desereretur a suis gregalibus, quos inter quæstuosam chirurgi artem exercebat, non est ausus profiteri palam catholicam religionem: de qua tamen quid interne sentiret, satis ostendit, dum vitam filii acceptam retulit Stanislao, & beneficii memorem tabellam argenteam ad ejus imaginem appendit in templo Societatis. Paulo minorem habuit admirationem Varaviae repentina & certa sanitas, quæ Stanislai patrocinio est restituta viro prænobili, & copiarum ductori Nicolao Stogneo. Evenit coenanti cum aliquot militibus Decembri mense, ut osculum faucibus transversum inhæreret adeo pertinaciter, ut nec in stomachum trajici, nec ejici per os posset. Ingesta solidi panis frustra, inditum oleum, ferramenta denique adhibita nihil profecerant. Jamque intercluso spiritu, accisis viribus, livido colore suffusus prope aberat ab interitu. Diffugientibus qui una coenabant amicis, ne misere pereuntem cernerent, conversaque in mœstitiam funebrem hilaritate convivii, evocatur P. Andreas Lavicius nostrorum rector, ut novissimam morienti absolutionem imperiat. Lavicius, post impensas animæ primas curas, de salute corporis non desperans, immittit in vini scyphum particulam reliquiarum B. Stanislai, & poculum ægro porrigendum curat. Successu non caruit fiducia. Infusa vini stilla tumidis faucibus osculum momento protrusit in stomachum, & præteriti morbi solam reliquit recordationem: quam P. Lavicius, & periculo defunctus Stogneus publicis testatam tabulis, & jurejurando firmatam esse voluerunt. Ejusmodi curationum multæ recensentur in vita Stanislai, quæ quia in alios annos inciderunt, hoc loco omittuntur.

Ad presentem pertinent plura Societatis domicilia, aut condita, aut inchoata intra Poloniam, de quibus aliquid attingendum hoc loco est. Bresta, non illa Poloniæ majoris in Cujavia, sed altera intra fines dioeceseos Luceorien-

44.
Aliud Stanislai
miraculum infan-
tiae.

45.
Fundatur colle-
gium Brestense.

riensis, erat sectarum omnium quasi commune receptaculum. De collegio ibi fundando deliberaverat ante annos plures Stephanus Bathoreus Poloniæ Rex, sed ejus pie cogitata mors interceperat. Rem eandem aggressus deinde ille nostri ordinis amantissimus vir, cujus est alibi facta mentio, Paulus Volukius Luceoriensis Episcopus, duos Brestæ collocaverat in domicilio stabili Patres, qui collegii mox condendi prima quasi fundamenta præstruerent. Sed coactus paulo post Luceoriensem Ecclesiam mutare Cujaviensi, & ad novam diœcesim, curas transferre, mœstos reliquerat Brestæ Patres, ac tanta oppressos rerum omnium inopia, ut ægre vitam eleemosinis tolerarent. Accedebat ad egestatis incommoda Parochus a Societate palam alienus, qui vexare illos indignis modis non cessabat. His de causis parabant nostri Brestæ quamprimum excedere. Et excessissent plane, nisi vetuisset novus Episcopus Luceoriensis Andreas Lipski, qui & domesticam depulit inopiam pensione annua attributa, & injusta Parochi odia auctoritate compefcuit. Præsulis optimi beneficia cumulavit Leo Sapieha, regni Cancellarius, vir dignitate, genere, & opibus florentissimus: qui cum olim opera P. Petri Scarga a secta Lutheranorum fuisset ad Ecclesiam reductus, eamque ob rem multum se debere Societati profiteretur, faciendum omnino sibi statuebat, ut vicem illi aliquam pro tam insigni beneficio exsolveret. Videns itaque Brestæ nostros peranguste habitare, in turgio verius quam domo, ad commendam commodiorem domum pecuniæ vim non exiguam numeravit: nec diu post providit, unde annui proventus alendæ fociorum familia suppeterent. Qua ejus beneficentia intra biennium aperta sunt juventutis scholæ, ac tandem post annos decem domus illa statum nomenque collegii accepit. Interim Kioviensis Episcopus Boguslaus Boxa novum Societatis domicilium constituabat Faustoviæ in Ukrania. Episcopatum adiit Boza hoc anno, deliberatum habens coloniam aliquam Societatis statim intra fines suæ diœceseos inducere. De loco dubitans, concessit in sententiam P. Joannis Argenti Provincialis, cui visum Faustoviam loci opportunitate Kioviæ præferendam. Ædes igitur coemit in urbe media Patrum usibus opportunas, ædibusque sacellum haud inelegans addidit ex materia, more gentis. Delati Faustoviam PP. Bartholomæus Obornicensis, & Valentinus Stopecius, tanta continuo frequentia adiri cœperunt, ut appareret, si esset operariorum copia, multum inde frugis colligi posse. Quare Præsul anno proximo, paratis fundis, eorumque possessione jure & moribus regni tradita Societati, collegium condidit. In idem ferme tempus incurrerunt primordia residentiæ Conecensis. Conecum, quam alii Choinitiam dicunt, Prussiae urbs est vicina Pomeraniæ. Locum in paucis opportunum Societatis laboribus arbitratur Joannes a Gleiffen, illius Ecclesiæ Præpositus: cumque jam curiale urbis templum ab oppressione Lutheranorum liberavisset, & catholicae religionis cultum ab annis sexaginta pene abolitum restituere decrevisset, implorare operam Societatis, eique qualecunque domicilium Coneci fundare constituit. Hac mente prædium, quod habebat ex patrimonio non contemnendum, nobis transcripsit, & de curiæ bonis aream cum domo inædificata dedit perpetuo jure possidendam: quam donationem Archiepiscopus Gnesnensis postea ratam habuit. Tam letis initiis non modica deinde incrementa accesserunt ex liberalitate Joannis Balkowski, & Dorotheæ a Zalno conjugum, qui de suo singuli peculio certam pecuniæ summam collegio constituendo addixerunt. Rege demum, & quibusdam procerum materiam, & sumptus operarum præsentibus, Coneci gymnasium extructum fuerat. Verum post Gleiffeni, & duorum quos dixi conjugum mortem, tot ab hæredibus motæ sunt circa donationes illorum controversiæ, ut nunquam ea domus ad justam collegii mensuram assurrexerit, & adhuc mera sit residentia collegio Gedanensi obnoxia.

46.
Constituitur
Societatis colle-
gium Faustoviæ.

47.
Choinitiæ resi-
dentia ponitur.

48.
RES LITHUA-
NIÆ.
Societas Riga
exturbatur bello
Svecico.

In provincia Lithuaniam fuit hic annus Societati maxime calamitosus. Rex Sigismundus omnes regni vires contraxerat adversus Turcam in finibus Valachia. Cum ex adverso Svecorum Rex Gustavus Rigam Livoniae caput aggreditur, & post dies paulo plures quadraginta ad deditionem compellit. Erant

e no-

e nostris intra urbem omnino octo: nam cæteros, cum magna parte sacræ suppellectilis, ante hostis adventum rector dimiserat in Lithuaniam. Promiserat Svecus ante quam urbe potiretur, omnes sacri ordinis viros, ac nostros nominatim dimissum iri incolumes. Et vero pacti fidem servavit. Tamen urbe capta, cum sibi fisci iussisset homines Societatis, intuitus inter alios P. Laurentium Norvegum, senem annorum octoginta, qui tempore Joannis III. pro religione catholica strenue laboraverat in Svecia, eundem increpuit acriter, ac minis terre conatus est. *Quousque tandem, ajebat victoria ferox, desipere depontane, senex perges? Nunquam ne oculos aperies miser? An vero ignoras de æternis ignibus, qui te brevi morituro manent, nisi religionem veram, id est reformatam amplectaris?* Ad quæ Norvegus, modeste quidem, sed tamen intrepide: *Æternis damnari suppliciis Lutheranos, certo scio. Iisdem, spero, me eripiet fides catholica, quam profiteor.* Perculit Regem impavidi viri constantia, Hæsit paululum, ac vocem quasi cogitabundus continuit. Tum irato similis hominem canitie venerabilem objurgare vehementius. Non latere nimirum sibi, quæ jecisset discordiarum semina inter Joannem Regem, ejusque fratrem Carolum Sudermannia Ducem, parentem suum: nec se ignorare de feditiosis libellis, quos Svecia tota vulgasset, utque delectos juvenes pontificiis sacris initiandos curasset. *Ob hæc, subjecit, nihil est quod Vilnam, aut aliam quampiam Lithuanicæ urbem cogites, quo tui sodales talium infantes ibunt. Stockholmia te, aut Revalia expectant carceres.* Cæterum hæc minatus est tantum, si forte incutere metum fortissimo viro posset. Cernens frustra esse minas, triduo post eundem una cum focis incolumem abire permisit. Verum post hæc, Venda in potestatem redacta, nostros inde pariter exturbavit. Atque ita demum duo Societatis domicilia, Rigense, & Vendense, quorum maxime opera in Livonia Lotaviaque res catholica utrunque sustentabatur, unus quasi turbo disjecit. Derpati quoque trepidatum est. Sed Svecus, relictis per circumposita loca præfidiis, bello autem in Curlandiam translato, ab illa tunc quidem urbe abstinuit. Et nihilominus Patrum ibi confidentium labores plurimum retardavit. Hostibus enim vicinas arces occupantibus, adempta est illis libertas ad Estonia populos excurrendi, unde magna animarum lucra sæpe retulerant.

Pro clade Livonica solatio fuit, quod eodem anno Sigismundus Rex stationes Societatis duas, Orsensem in Russia, & Smolenskensem in Siberia, instabiles hæcenus & incertas, ad ordinem collegiorum provexit, apto singulis proventu attributo. Ut Smolenscum occupaverint postea Moscovitæ, & Societatem abegerint, alibi dicendum erit. Nunc Patrum ibi commorantium latitiam cumulavit, quod schismaticus ex ipsis propemodum orci faucibus ereptus est. Moschus erat is, ac detinebatur in vinculis, capite, nescio qua causa, damnatus. Cum esset ad supplicium producendus, peracta miser homologesi apud Sacerdotem Ruthenum, eidem supplicabat, sibi ut manu carnificis morituro opem ferret, & ad extremum usque spiritum benigne adesset. Respondit homo superbia tumens, non esse dignitatis suæ tam prope accedere ad patibulum: morienti autem cum ignominia assistere, id turpe sibi fore, & indecorum pronuntiavit. Mœrebat tam duro responso infelix. Mœrentem adeunt nostri, & siquidem velit, suam illi operam usque ad supremum anhelitum pollicentur. Sensit ille, haud equidem sine cœlesti instinctu, Sacerdotum discrimen: atque inde discrimen utriusque professionis conjiciens, non eo contentus ut Patribus se totum permitteret, catholicum rite professus est. Tum expiatus denuo, Patribus iisdem deducentibus, ad supplicium processit, & plenus optime spei cervicem carnifici dedit. Accessit ad provinciæ solatium ortus collegii Grodnensis. Est Grodna urbs Trocensis palatinatus in Lithuania, incolarum opibus & frequentia celebris. Multo ante quam Societas provinciam Lithuanam sejungeret a Polonica, Stephanus Bathoreus Rex de constituendo ibi collegio egerat, cœperatque ob eam rem certa vestigalia constituere, & insigne templum a fundamentis erigere. Sed illo e vivis ante sublato, quam perficere,

cœ-

49.
P. Laurentii Norvegi fortitudo adversus Svecorum Regem.

50.
Vendense pariter domicilium amittitur.

51.
Dotantur collegia Orientæ, & Smolenskense.

52.
Schismaticus proxime ante mortem ad Ecclesiam reduci-

53.
Fundatur collegium Grodnense.

54.
Molestiæ no-
strorum Grod-
næ ex diversis
causis.

55.
Divinæ ultionis
exemplum.

56.
Turbæ a schi-
smaticis concl-
tate contra Ca-
tholicos.

57.
Polocensis An-
tistes a schisma-
ticis interfici-
tur.

coepa potuisset, nulla deinde ejus rei mentio facta fuerat. Hoc demum anno cum resignaretur testamentum viri nobilis e Kossobuckiorum familia, qui a Tartaris casus fuerat, bona quædam inventa sunt ab eo Societati transcripta, cum hoc ut excitando Grodnæ collegio impenderentur, aut domui Professorum Vilnensi addicerentur. Visum nostris uti legato ad novam Grodnæ sedem inchoandam, cum præsertim spes esset non defuturos, qui necessariam collegio dotem aliquando complerent. Quinque itaque socios Grodnæ P. Michael Ortizius provinciæ Præpositus collocavit. At eorum adventus minus gratus accidit ordini sacerdotali. Erant quippe ejus ordinis bene multi, quos falsa suspicio inceserat, ne paulatim nostri invaderent in ipsorum bona, aut certe partem de Grodnensis Ecclesiæ proventibus ad se traherent. Etiam e populo aliqui contra Patres incitati fuerunt, & ad eos divexandos confurrexerunt. Unus quidam audacior, secutus pravi consilii auctorem amicum nescio quem suum, partem haud exiguam de bonis ad Societatem pertinentibus vi invalit. Verumtamen brevi rerum facies versa est. Sacerdotalem ordinem sensim leniit modestia, & affabilitas Patrum. Illum vero bonorum interceptorem ultio divina ad redhibendum compulit. Nam qui eum incitaverat ad inferendum Societati damnum, compertus repente furti suspendio damnatur. Qui injuria exequenda ministri & adjutores fuerant, intra breve tempus omnes, alii alio casu, male perierunt. Ipse fornacem domesticam calefecerat lignis de adempta nobis silva collectis. At dum calore securus fruitur, flamma latius diffusa corripuit domum, & brevi spatio totam absumpsit. Hæc reputans improbus, malo doctus tum alieno, tum suo, Patribus ablata restituit.

Quod pertinet ad res gestas sociorum in Lithuania, uberem illis hoc anno, & solito ampliorem laborum segetem nova schismaticorum conata obtulerunt. Kioviam Pseudopatriarcha Hierosolymorum venerat, eumque Cosaci summis honoribus exceptum in episcopali cathedra collocaverant, ac Pontificem salutaverant. Ille, ne errantibus deessent errorum duces, continuo septem ejus gentis Episcopis, qui Romano Pontifici parebant, totidem opposuerat lectos de medio schismate: qui quamquam nec bona, nec sedes Ecclesiarum interciperi possent, plurimos tamen subornabant identidem, & a legitimis pastoribus ad suas partes trahebant. His nostri malis pro viribus se opponebant. Alios in fide nutantes continebant, alios misere prolapsos erigebant. Accurrebant huc illuc, quocunque res & tempus vocaret. Augebantur nihilominus & numero, & audacia partes schismaticorum: donec anno post hunc altero in crudelissimum facinus proruperunt. Polocensem regebat Ecclesiam Josaphat Consevichius, vir eximie virtutis, idemque magnus Societatis æstimator & fautor. Illum schismatici acerbissime oderant, & jamdiu ad ictum designaverant. Hanc tandem sceleris maturandi causam arripuerunt. Morabatur Vitbesci Præsulis in arce sue dioceseos, ibique in honesta custodia detinebat impium quemdam Presbyterum, qui haud ita pridem ad partes schismaticorum transfugerat. Injuriam suo nomini factam schismatici arbitrantes, repente ædes Episcopi invadunt magno agmine, januas refringunt, famulos vim repellere parantes vulnerant, demum in interiora irrupentes, Præsulem magnis clamoribus ad eadem deposcunt. Abdiderat ille se in conclave intimum, & Presbyterum, cujus causa mota erat seditio, dimitti e custodia jusserat. Cum neque sic quiescerent latrones impii, post tres fere horas orando consumptas, prodit ultro, seque multitudini concitate offert. Signum bene precandi faciebat elata dextera, ac seditiosos blande compellatos rogabat, quid vellent. Cum loqui incipientem ferociter interfatur unus omnium audacissimus, & impacto in caput fuste seminem terræ allidit. Mortuum in ipso ictu mortalium scelestissimi crediderunt. At mox comperto, spirare adhuc Præsulem, & coeleste auxilium voce intermortua implorare, clamorem insanum tollunt: hortantur se invicem ad seviendum: sustibus gladiisque cadere jacentem pergunt, donec ignea glande trajectum crudeliter interfecerunt. Cadaver, dictu nefas! primo per totam domum cum

cum insigni ignominia protrahitur. In quo tristi ac diro spectaculo ajunt, miraculo prope fuisse catelli fidem, qui, cæteris domesticorum fuga dilapsis, mortuum dominum prosequeretur unus, nullisque neque minis, neque verberibus abigi poterat: qua re in furorem acti carnifices, ipsum etiam denique gladio necaverunt. Vocata postea in sceleris partem lascivæ, impiæ, & audaces femina mortuo insultant Præsuli, non conviciis solum & calcibus, quod tamen summe impium & inhumanum erat, verum etiam tripudiis & saltationibus, alioque procacitatis & scommatum genere, quod ne referam pudore prohibeor. Postremo nefarii parricidæ, ne quem inhumanitatis gradum omittent, Pastori suo indumenta detrahunt, nihilque moti quod thorace cilicino interne tectum invenerit, nudum raptant usque ad præcellam rupem, atque inde præcipitem dejiciunt in præterfluentem amnem: eo de industria delecto loco, ubi altissimum esse alveum norant, ne inveniri usquam a Catholicis, neu cum honore condi posset. Sed eorum in hac parte improbitatem vicit Catholicorum pietas & industria: qui exangue corpus cum ingenti cura quæsitum, inventumque perhonorifice condiderunt, multisque cum lacrymis, quas sane justas in tam acerbo casu dolor exprimebat, Pontifici optimo parentaverunt. Sed relicta in præsens Lithuania, narrationem ad provinciam Austriacam transferamus.

In Hungaria, turbante adhuc omnia perfido Gabore, per varias vices res Societatis fluctuabant. Anno superiore pepigerat cum illo Cæsar inducias mensium octo, conditionibus magis sibi necessariis, quam honestis, quarum ea ferme gravissima, ut præsentem Gabore celebraretur totius regni concilium in urbe Neostadio. Assuere ad conductum diem magnates. Gabor in confessum receptus id unum rogavit ordines, vellentne juberentque se in Hungaria regnare? Cum plerique Calvinistarum scivissent *Uti rogas*, ipse cæteros, qui contra rogationem dicere incipiebant, ad silentium adegit metu cædis: nihilque ultra moratus, se regem Hungariæ appellavit, & conventum solvit. Iterum ergo itum est ad arma, & vario Marte pugnatum, donec barbarum rerum successu elatum clades Bohemorum, de qua dictum est supra, compressit. Nam cum essent in exercitu Palatini copiæ Gaborianæ, quæ Bohemis amicis & foederatis subsidio venerant, eadem ipsæ etiam clade perierunt. Ex eo die Gabor, quippe solitus servare fortunæ ac tempori, animum valde demiserat. Qui paulo ante omnia pacis consilia superbe rejiciebat, jam se placibilem præbere, modestius loqui: quin ultro profiteri, jus Hungarici regni penes Ferdinandum esse: quod vero ipse regis nomen sumpisset, id se ea duntaxat mente fecisse, ut Cæsari regnum servaret, procul dubio tradendum Turcæ, nisi protectum a se, & occupatum fuisset. Sic ille mendacissime, & fraudulenter, ad faciendum Cæsari fucum, & belli impetum remorandum. At Cæsar, qui hominis ingenium fallax & versipelle plus nimio haberet perspectum, ejus vires experiri, quam fidem maluit. Habebat Ferdinandus Germanorum exercitum florentissimum sub Carolo Longavallio Comite de Buquoy, perito belli duce. Hunc adversus Gaborem movere jubet. Buquoyus paucis mensibus expugnato Posonio, aliisque arcibus in potestatem redactis, magnam Pannoniæ partem Cæsari, nostris collegium Tyrnaviense restituit. Tyrnaviam nostri redierunt Junio ineunte. Excepti mira populi gratulatione & gaudio, parabant collegium omni domestico instrumento nudatum reparare: cum nova ex insperato clades rem simul publicam regni, & privatam Societatis afflixit. Dum Buquoyus novam quam vocant arcem, oppidum Hungariæ superioris egregie munitum, oppugnat, lapsus nescio quo casu in insidias Gaborianorum, & ab hostibus circumventus, fortissime dimicans interficitur. Eo casu ingens rerum commutatio facta. Gabor, ut de nece Buquoyi nunciatum est, ratus, quod erat, hostes morte ducis confternatos occasionem rei bene gerendæ sibi daturus, magnis itineribus ad eos contendit. Quem Cæsariani appropinquantem ut conspexerit, conterriti numero & ferocia hostium, turbatis ordinibus terga vertunt, nec tam

T. I.

P p

iti-

58.
Eorundem fe-
vities contra ca-
dayer.

59.
RES PROVINCIÆ
AUSTRIACÆ.
Bellum in-
ter Gaborem &
Cæsarem recrui-
descit.

60.
Tyrnaviense
collegium no-
stri recuperant.

61.
Clades Cæ-
sarianorum ex
morte ducis.

62.
Gaboriani de-
nuo Tyrnaviam
expugnant.

itineris, quam fugâ modo recipiunt sese in Schitum, insulam stagnantibus circum aquis communitam. Partem impedimentorum, & tormenta muralia viginti quatuor Gabori relinquunt: qui eorum ignavia solerter utens, potitur desertis castris, tormenta in fugientes convertit, multos sternit. Demum præda onustus, & insperato successu audacior, animum ad Tyrnaviam recuperandam adjicit. Erant in urbis præsidio Germanorum fere mille quingenti, sed equites plerique, obsidioni tolerandæ parum idonei. Eos nihil ambigens Gabor, ad conspectum hostis eruptionem facturos, suorum duo millia collocat in insidiis. Tum paucos e regione urbis disponit cum mandatis, ut egressuros ad pugnam Germanos simulata fuga in locum insidiarum trahant, cætera sibi permittant. Res supra spem feliciter cessit. Præsidarii, conspecta contemptaque paucitate Gaborianorum, erumpunt sine ordine, sine imperio, ac refugientes temere insequuntur. Ita lapsi in insidias, momento temporis circumveniuntur ab hostibus, ac numero obruuntur. Trecenti trucidati sunt, capti non pauci. Cæteri sic evaserunt, ut tamen urbis tuendæ spem nullam haberent. Ergo post triduum, velo candido in altum sublato, significant, si æquas condiciones ferant, urbem sine certamine tradituros. Annuit barbarus, & obsidem in urbem misit virum nobilem, eundemque catholicum. Vicissim Germani legatos miserunt in castra, hisque mandarunt, ut de urbis deditione transigerent, ea tamen lege, ut salvum esset præsidium, & Patres Societatis incolumes inviolatique dimitterentur.

63.
Patrum Tyrnavien-
sium periculum, & constantia.

Pessime in nostros animatus venire ferebatur Gabor: ex iis enim, qui capti fuerant, Germanis quæsierat ante omnia, essent ne Jesuitæ Tyrnavia? Et vulgo putabatur velle omnes sua manu maclare. Nihilominus ratas habuit condiciones, & civium postulata se religiose facturum promisit. Quæcunque interim ille vel interposito jurejurando spondisset, Catholici minime fidendum arbitrabantur homini subdolo, qui sacramenti religionem nihil pensi faceret, & fidem frangere in more haberet. Ideo nostris amice suadebant, ut tunicam Societatis militari sago mutarent, abirentque furtim permixti militibus. Sed visum Patribus consilium benevolam magis, quam prudens. Ecquam enim dari spem fallendi tyranni, qui versari intra urbem Patres certo sciret? Quod unum erat reliquum, decernitur inter eos, ut siquidem odio religionis moriendum sit, jam tum ad mortem fortiter obeundam componant sese: cui Patrum decreto mirum, ut libentes alacresque subscripserint omnes, etiam juniores magistri. Præter hæc Rector, ne quid ad suorum salutem intentatum relinqueret, obsidis Gaboriani, quem esse catholicum dicebamus, opem & patrocinium implorat. Atque hic, missis in castra codicillis ad amicos duces, eorum interventu & deprecatione impetrat a Gabore, ut Patres una cum præsidio educantur urbe, & in tutum exportentur. Eos educendi negotium dedit barbarus Sigismundo Cornisio, supremo Transilvanorum præfecto, viro egregie catholico, & Societatis studiosissimo: ut nihil ad rem præsentem accedere optabilius posset. Nec vero distulit Cornisius admonere per nuncium Patres, ut ad protectionem accingerent nullo metu: se enim toto itinere ipsis, Germanisque militibus cum valida manu præsidio fore. Re per urbem vulgata, trepidari desit quidem de salute nostrorum: at lætitiâ inde partam, dici vix potest quantum corruerit publicus moeror de ipsorum exilio. Vix sibi redditos eripi denuo, boni omnes dolebant. Multi optabilius putabant, ut ne redditi quidem fuissent, siquidem tam cito erant abripiendi. Affuere magno numero Catholici, ut discursuris supremum vale dicerent, nec a lacrymis hinc inde temperatum est. Vehicula ipsis exportandis, partim ab amicis ultro missa, partim ære publico civitatis comparata. Tandem inter mutua salutationum officia Patres, conscensis curribus, proficiscuntur. Ibant post equites præsidii Cæsarei, habebantque a tergo pedites sane paucos, quos pone sequebatur imbellis turba mulierum ac puerorum. A porta urbis copias suas Gabor longo ordine collocaverat. Ipse equo sedens, constiterat in extremo ordine. Prætereuntes nostros Daci milites,

64.
Permittit Gabor ut urbe educantur incolomes.

65.
Civium moeror de discessu Patrum.

66.
Quo ordine & apparatu Tyrnavia excefferint.

tes, Hungarique spectaverunt taciti. At ubi ventum ad agmen Silesitarum, qui fere quadringenti Gabori stipendia faciebant, nullum est probri genus tam impudens, & obscenum, quod non illi in Patres germanica lingua jactaverint. Demum prætervestis Turcarum agmen apparuit Gabor, qui salute comiter accepta, redditaque, Patres honorifice compellatos jussit accedere, & accedentibus dextram porrexit. Tum equo desiliens, currum conscendit: in quo, cæteris Patribus ad sua remissis vehicula, tres eorum accepit secum, cum iisque sermones varios familiariter conferens, ad plura stadia proficiscentium agmen deduxit. Sermonem præsertim intulit de rebus a se gestis, de commissis præliis, victoriisque ex Cæsariano milite reportatis. Ac sibi quidem, aiebat, Cæsarem semper in honore fuisse, & porro fore: sed vicissim a Cæsare haberi velle, non pro fortuna in qua natus esset, sed pro ea, ad quam sua virtute pervenisset. Davidem etiam ante regnum pastorem ovium fuisse: in eo tamen dignitatis fastigio collocatum gloriosissimos regum æquasse, & multis partibus superasse. Addidit ad extremum, se a consiliis pacis minime abhorrire, modo Cæsar honestis legibus pacisci vellet: fore autem sibi jucundissimum, si Societatis opera ad pacificandum uteretur: nec enim aliud esse hominum genus tam integræ, tam perspectæ fidei. Hæc loquebatur Gabor, non ex animo tamen, aut ulla in nostrum ordinem benevolentia, sed ut sibi Catholicos suarum partium arctius obstringeret. Nam eodem tempore compertum est, submissam ab eo fuisse Turcarum cohortem, specie quidem ut nostros deducerent, re ipsa ut diriperent: fecissentque plane, nisi Cornisius latrones inhumanos districto gladio, totoque in eos converso agmine repulisset. Ita demum Patres a Gabore dimissi, Cornisii fide, & virtute singulari in tutum evaserunt. Ita collegium Tyrnaviense, ex priori ruina vix renatum, denuo corruit. Ut deinde feliciter restitutum fuerit, alibi differemus.

Homonensè interea ne instauraretur, in causâ fuit obitus fundatoris Georgii Drugheti, a quo pendeat. Vir egregiæ in Deum & Cæsarem fidei, conductis ære suo aliquot Polonorum millibus, contra Gaborem arma sperat, prælium atrox cum Rakoczio commiserat, ejus copias interneccione deleverat, vix ipso rebellium duce, aliisque paucis de media clade subtractis. At cum per eas, quas dixi, octo mensium inducias in Poloniam secessisset, ibi vivere desinit immatura morte sublatus. Morientis cura non ultima Homonensè collegium fuit. Filium post se relinquebat unicum annorum novem. Eum supremis tabulis hæredem scribens, quam gravissima potuit obtestatione admonebat, ut collegium Societatis Homonæ a se conditum quantoocyus restitueret, vel si aptius visum esset, in aliud avitæ ditionis oppidum transferret. Et quia puer relinquebatur apud parentem secta Calvinianam, tutores ipsius nominabat Ferdinandum Cæsarem, & regem Poloniæ Sigismundum, eosdem per quicquid apud Christianos sanctius est obsecrans, ut pupillum de matris manibus vindicatum orthodoxe instituendum curarent. Pia testatoris mandata irrita non fuerunt. Ereptus est matri puer auctoritate Cæsaris, datusque in disciplinam Societatis Viennæ. Qui ut adolevit, paternum collegium quod Homonæ fuerat, in arce Ungariæ restituit. Inter has rerum vices diem claudit extremum Zagrabia P. Alexander Dobokajus, vir olim genere illustis in Transylvania, deinde virtutibus, & fama sanctitatis multo illustrior. Cum esset adhuc adolescens, post acceptam Eucharistiam, distinctis verbis audivisse vocem dicitur admonentem, ut Societatem ingrederetur. Præfecturas inter nos varias per annos viginti gessit. Nemo se ab illo iracundius appellatum questus est unquam, nemo commotiorum aliquando vidit. Homonæ repertus semel est in suo cubiculo a terra sublimis, in aere suspensus, fulgidusque, habitu orantis. Vir quidam nobilis testabatur, visum sibi supra ipsius concionantis caput globum lucis, qui paulatim in candorem vergens evanuit. P. Georgius Forrus ad Præpositum Generalem scribens, reperta esse ait in ejus adversariis plurima, si vulgarentur, admirationem & fructum legentibus allatura. Ut dolendum sit, ejusmodi rerum documenta vel

To. I.

Pp 2

per-

67.
Admodum honorifice habentur a Gabore.

68.
Subdole tamen, ac per insignem perfidiam.

69.
Collegium Homonensè transfertur Ungariam.

70.
Mors & collegium P. Alexandri Dobokai.

periiſſe, vel adhuc latere. Deceſſit Dobokajus 111. Idus Octobris, annu-
agens ſextum ſupra quinquageſimum, cum recens in ſuam provinciam rediiſſet
ex Polonia.

71.
Fundatur colle-
gium Tergeſti-
num.

Duo Societatis domicilia nuper amiſſa dicebamus in Hungaria: Alia duo
de novo Societas adepta eſt in Iſtria, Tergeſtinum, & Goritienſe, de qui-
bus modo ſingulis diſſerendum. Tergeſti, quæ urbs arce, portu, & incolaru-
rum frequentia habetur inter cæteras ejus tractus inclyta, jampridem Societas
in deſiderio erat. Caſu factum eſt, ut in horribili illa tempeſtate, quæ no-
ſtros e Bohemia, Moravia, Hungariaque expulit, ſocii duo Tergeſtum adve-
nirent, ad Lauretanam inde Virginem profecturi. Dum navigandi opportuni-
tatem præſtolantur, mirum ut ſtudia civium erga ſe, & collegii conſtituendi
voluntatem accenderint. Una tantum re angebantur Tergeſtini, quod ob de-
trimenta bello Forojuliensi nuper accepta, vires operi perficiendo non ſuppete-
rent. Quod pro præſenti poterant, cenſum pro familia quatuor vel quinque
capitum conſtituerunt, non ſine ſpe amplioris dotis aliunde acceſſura. Vix ibi
noſtri ſuis miniſteriis fungi cœperant, cum Joannes Udalicus Echembergius
inter miniſtros Cæſaris facile princeps, motus fama late manante rerum, quæ
ſane utiles Tergeſti gerebantur, domicilium illud ita dotavit, ut honores no-
menque fundatoris promeruerit. Goritiam, urbem in Italia finibus poſitam,

72.
Initia collegii
Goritienſis.

divitem, & frequentem venerant ante ſexennium duo operarii Societatis: qui-
bus quæ ſunt noſtri ordinis ſedulo exequentibus, agi ſtatim cœperat de colle-
gio erigendo. Rem tunc intervertit bellum, quod eodem anno inter Vene-
tos, & Ferdinandum exarſit. Manſere nihilominus in urbe noſtri. Quamvis
autem nullum haberent proprium ac ſtabile domicilium, nullum templum, aut
veſtigial ſuum; operam tamen non inutilem ponebant in excolenda urbe, ac
regione circumpoſita. Præter alia, accurrebant identidem ad excipiendas con-
feſſiones militum in caſtra proxima Ferdinandi Archiducis: qui hac re dele-
ctatus, ne inopia alimentorum Patres abire Goritia cogentur, penſionem
illis annuam conſtituit in quodam Venetæ ditionis fundo, quem ſibi veſtiga-
lem fecerat. Iiſdem mox Gaſpar Vitus a Dorembergio ædiculam ſacram addi-
xit S. Joannis Baptiſtæ, cum domo conjuncta. Verum pace poſt hæc inter Ve-
netos & Archiducem conſtituta, cum ea de qua dictum eſt penſio ſolvi deſiſ-
ſet, noſtri locum deſerere coacti ſunt. Operi ſubverſo denuo manus admovit
Ferdinandus, ex Archiduce Stiria Imperator factus. Sed parum abſiit, quin
ejus beneficentiæ fructu aliorum nequitia privaremur. Impetraverat Ferdinan-
dus a Paulo V. Pontifice, ut collegio Goritienſi in partem dotis addiceretur
fundus neſcio quis præpoſituræ Piſinenſis. Multi, quibus hæc aſſignatio diſpli-
cebat, noſtros criminoliſ litteris deſerunt ad Pontificem, quaſi Cæſaris indul-
gentia abuſi fuerint, eamque conſeſſionem ſubdole extorſerint. Commotus ac-
cuſatione Pontifex, donationem abrogavit: quo facto, negotium uſque ad obi-
tum Pauli ſuſpenſum hæſit. At eo ſublato, cum ſucceſſor Gregorius donatio-
nem eandem nova Cæſaris deprecatione ratam firmamque eſſe voluiſſet, eſſe-
cit Ferdinandus ut collegium tanto dotaretur largius, quanto ſerius abſolve-
batur. Erat in agro Preſſinienſi, diei ferme iter a Goritia, latifundium
(Commendam vulgo appellant) ad equites Teutonicos pertinens. Id Imperator
cum aſſenſu Pontificis emit a fratre ſuo Carolo, Teutonicorum equitum magi-
ſtro ſummo, & collegio Goritienſi in perpetuum tranſcripſit. Qua in re Caroli
quoque eluxit benevolentia in noſtrum ordinem ſingularis. Nam & pretium
latifundii, quod numerato ſolvi non poterat, æſtimatione accepit, & ad præ-
cidendas moras, prius etiam quam tabulæ permutationis conſectæ eſſent, in
ejuſdem poſſeſſionem Patres immiſit.

73.
Quod a Ferdi-
nando II. Impe-
ratore perfici-
tur.

74.
RES GERMANIÆ
SUPERIORIS.
P. Jacobi Rhe-
ingii luſtuofa
deſectio.

Inter hos rerum ſucceſſus, gravem Societati plagam intulit in Germania
ſuperiori unus noſtrorum, factus exemplo ſuo triſti luſtuofoque cæteris docu-
mentum, male in aliorum ſalute operam ab iis poni, qui ſuam negligunt.
P. Jacobus Rheingius, præſtantis ingenii vir, idem Wolfango Guillelmo Pa-
lati-

latino Neoburgico ob laudem eloquentiæ carissimus, cum totum septennium in reducendis ad catholicam fidem hæreticis & voce, & scriptis fructuosissime defudasset, ipse demum Societatis, & quod extremum malorum fuit, Ecclesiæ defertor, ad castra lutheranorum transfugit. Quid hominem in hanc demerentiam impulerit, pro certo dicere non habeo. Illud constat, jampridem Provinciali Grenzingo remissiore fuisse visum in studio virtutis. Egerat ille sane aliquoties cum Palatino, sibi ut liceret cum bona ipsius venia Rheingium loco amovere, & longe ab aula transferre: namque erat Principi a sacris concionibus. Sed frustra fuerant prudentis moderatoris consilia. Restiterat semper Princeps, cujusque eloquentia plurimum delectabatur, eum nunquam permiserat a se divelli. Novissime deprehensus cum fuisset in loco minus idoneo feminam alloquens familiariter, ac sine arbitris; postridie quam id acciderat, profugisse dicitur Vittembergam, ac Luthero nomen dedisse: ut suspicari non immerito liceat, vecordem hominem fugæ consilium cepisse metu, ac ne colloquium illud sibi criminofum esset extimuisse. Ut ut fuerit, lapsum hominis adeo lacrymabilem haud secus quam par erat nostri doluerunt. Graviter etiam doluit Neoburgicus, quippe Societatis amantissimus princeps: & quamvis adhuc in catholica professione recens, nihil non egit, ut concionatorem suum ex hæresi, aut saltem ex hæreticorum ditione retraheret. Longe tamen abfuit, ut offenderetur exemplo illius, aut ob eam rem in catholico dogmate vel minimum vacillaret. Probe intelligebat scilicet, miserum inter hæreticos, non veram religionem quæsitum esse, sed licentiam vitæ, & scelerum impunitatem. Exstat Rheingii egregius commentarius, cui titulus *Duodecim muri civitatis Dei*, tunc ab eo scriptus editusque, cum Neoburgicus catholicum professus est. Ostenditur eo libro fides Romana duodecim præcipue fulta rationibus, ac totidem quasi propugnaculis munita. Quo magis dolendum, tam foede periisse, qui tam multis profuerat ne perirent. Periisse dixi: ac nimis quidem ex vero, nisi quid aliud forte ignotum nobis occultumque, Deo miserante, evenerit. Nullis quidem certe precibus, neque suasionibus abduci unquam ab hæreticorum partibus potuit: in quibus dum obfirmat in dies contumacior, paucis post annis, nullo edito poenitentiae indicio, pene ex improvise decessit. Sed non deerant hoc tempore exempla meliorum.

Brixinam advenerant ex collegio Oenipontano Sacerdotes duo, de quorum laboribus multa ad memoriam illustria litteræ annales commemorant. Narrant, eorum opera veterem discordiam inter nobiles familias non paucas extinctam fuisse, compressam vulgo peccandi licentiam, injectos libidinibus frænos, periclitantium puellarum honestati provisum, novam denique pietatis formam, atque alios mores in urbem inductos. Addunt, eorum discessu sic affectam universam civitatem fuisse, ut iis retinendis aliqui civium pecunia numerum ingentem obtulerint, usque ad quinque aureorum millia. Parem ferme benevolentiam exhibuerunt Grifones, etsi Societati semper antea infensi, erga Patres Petrum Friker, & Germanum Milotum, quos cum auxiliariis copiis secum adduxerat præfectus Helvetiorum, ut essent tum sibi, tum militibus sacrorum ministri in bello ad recuperandam vallem Tellinam suscepto. Adductos non æquis exceperant initio animis hæretici pariter, ac orthodoxi. Memores enim, Societatem ex valle Tellina ejectam a se olim cum ignominia fuisse, oderant, uti solet, quos læserant. At capti paulatim modestia eorum, comitate, & morum innocentia irretiti, mutarunt brevi mentem in tantum, ut quorum antea nec nomen ferre poterant, eos jam in honore longe maximo ac pretio haberent. Sane discessuros cum legione Helvetica multi rogabant, ne abirent. Alii de condendo nobis aliquo collegio, ac seminario ejusdem gentis agebant. Quod nisi status rerum in ea republica præter omnem expectationem mutasset, profecto Societas non unum intra ejus fines domicilium accepisset. Namque in hoc statu res erant. Grifones post bella intestina, quibus studio paucorum inter se de potestate certantium diu fuerant consuetati, tandem fessi malis, unam sibi

75.
Defectionis
quæ fuerint cau-
sæ.

76.
De quodam
Rheingii egre-
gio volumine.

77.
Labores socio-
rum Brixina.

78.
Grifonum in-
clinatio erga
Societatem.

79.
Ob hæretico-
rum seditionem
irrita.

sibi patere censuerant viam reparandæ concordiæ, si in clientelam Comitum Tyrolensium se contulissent, Eorum patrocinium susceperat jam Leopoldus Tyrolis Comes, & frater Cæsaris; jam ipsorum rogatu vallem, quam vocant Engedinam, & urbem Curiam prædiis occupaverat. Designati post hæc fuerant nostri ordinis Sacerdotes duo, qui irent ad Engedinos. Verum inter hæc hæretici seditiosis ministrorum concionibus incitati rebellaverunt, coeuntesque inconstita multitudo cum armis, prædiarios Austriacos numero longe impares conciderunt, Curiam oppidum obsederunt, Leopoldi præfectum arcem sibi tradere conditionibus parum honestis coegerunt; locis demum omnibus recuperatis, quæcumque inita de nobis fuerant consilia interverterunt. Per hanc occasionem accidit, ut irruentes in ædem sacram hæretici B. Fidelem, ex sacro ordine Capuccinorum heroem, pro concione dicentem invenirent, crudeliterque interficerent.

80.
Inducitur Societas in superiorem Palatinatum.

81.
Nostri lahores & res gestæ ibi.

82.
RES PROVINCIAE
AQUITANÆ.
Quo loco esset religio in Bearnia.

Felicis enimvero est inducta Societas in eam Norici partem, quam superiorem Palatinatum vocant. Ditionem hanc Cæsar, post Pragensem victoriam, a Friderico Septemviro Palatino transtulerat ad Baviaræ Ducem. Is cum in nova, & adhuc dubia ditione magnam vim militum per prædia constituisset, eodem mittendos curavit sex nostri ordinis homines, qui militibus sacra ministrarent, simulque indigenas, prout se daret occasio, ad catholicam fidem pellicerent. Bini in tribus provinciæ locis collocati fuerunt, Ambergæ, Chamby, & Novosori. Præses omnium constitutus P. Christophorus Steborius, vir multis nominibus insignis. Porro sua Patribus ministeria naviter exercentibus, inter prædiarios ingens operæ fructus statim constitit: at inter cives initio perexiguus, ac propemodum nullus. Hi enim, pendente adhuc bello, necdum certa Bavaro possessione provinciæ, donec comperissent cujus religionis dominum essent habituri, cunctabantur mutationem facere: more Protestantium multorum, qui modo inter Christianos per baptismum censeantur, perinde habent Ecclesiæ ne, an dissidentium sectarum partes sequantur, eorumque amplecti religionem solent, quorum sub imperio vivunt. Non tamen omnino nihil apud eos profectum. Aliqui ab hæresi ad Ecclesiam transierunt. Plerique sacrarum caremoniarum spectaculo, quibus crebro intererant, adeo delectati fuerunt, ut discerent passim, catholicis religionibus divinum inesse aliquid, aut certe humano majus. Hæc autem prima quasi semina fuerunt frugum latissimarum, quæ post aliquot annos, Deo cœpta fortunante, maturuerunt. Sed gradum ad alia faciamus.

In Gallia fuit hic annus, ut hæreticorum seditioibus reipublicæ turbulentus, ita illarum exitu felix fortunatusque rei catholicæ, Societati vero laboris inusitati ferax. Turbarum initia & eventus, quatenus iisdem res Societatis illigantur, ego attingam, quæque ad provinciam Aquitanicæ pertinent primo loco exponam. Bearnia, quam usitato vocabulo Bearniam dicimus, provincia non magni ambitus, sed pagis incolisque frequens, ante quam ad Henricum magnum matris hereditate deveniret, sic tota erat Calvinii hæresi infecta, ut vix ullum catholicæ religionis vestigium retineret. Nam cum regionem obtinisset diu Joanna regina Navarræ, regis Henrici mater; mulier errori perditæ addicta Episcopos ejecerat, bona Ecclesiarum invaserat, Calvinianis ministris, & præceptoribus perpetua stipendia constituerat. Sceptro Gallico potitus Henricus, tametsi maternam superstitionem vere & ex animo ejurasset, in iis tamen quæ ad religionem pertinent nihil magnopere mutandum censuerat, ne novis decretis irritaret hæreticos, genus hominum nunquam bene pacatum, semper ad seditiones & arma promptum. Pervicerat tamen, quod haud levis momenti visum, ut aliquæ civitates locum apud se darent Catholicis, & catholicæ religionis usum liberum tolerarent. At Ludovicus XIII., statim atque matris Mariæ Medicæ tutela egressus est, & regnum administrare per se coepit, nullam regiminis curam religione potiore ducens, de restituendo in Bearniam cultu catholico deliberavit, Edictum itaque proposuit, quo suas Epi-

scopis sedes, & Ecclesiis quæ ablata fuerant bona restitui jubebat. Erat editum, ut æquum catholicis, ita sectæ ministris liberale: his enim tantundem promittebatur in posterum ex arario, quantum hæcenus inique percipissent ex alieno. Edicto nihilominus intercessit Senatus Bearnienſis, pervicitque ne in provincia reciperetur. Urgente Rege ut facerent imperata, necessebant moras, alia ex aliis causabantur, apparebatque nunquam plane facturos, nisi vi ad obsequium adigerentur. Pertinaciæ fiduciam dabant regni dissidia. Nam circa idem tempus multi procerum, ægre ferentes immodicam Lunai ducis gratiam apud regem, tracta in partes Regina Ludovici matre, nefaria arma sumpserant contra Principem, & factiosorum ingentem numerum post se trahebant. At Rex, perduellibus acie feliciter superatis ad pontem Cæ, sibi que matre reconciliata, brevi pacavit omnia: certus autem Bearnienſium contumaciam omnino frangere, ad eos iter intendit, jussis subsequi legionibus. Ut vulgatum est in Bearnia, regem imperii sui exactorem venire, sit raptim Senatus consultum, referendum in acta decretum, eique obtemperandum. Tum venienti obviam mittunt Gubernatorem suum, qui imploraret clementiam principis, rogaretque eum suppliciter, ne provinciam ingrederetur armatus. Hominem Rex, etsi non ignorabat ex pertinacissimis Hugonotarum esse, & præcipuum auctorem repudiandi edicti fuisse, admisit humaniter: nullo tamen certo responso ad ejus orationem dato, Arfacum primo, inde Palum Bearnia caput iter direxit. Urbem attingit comitantibus tantum aulicis, corporisque custodibus: legiones enim itinerum ipsius celeritatem æquare non potuerant. Tamen sola regis majestatis præsentia Bearnienſes ita conterruit, ut iidem nuper seditiosi, ac præferoces arma deposuerint statim, & regios nutus obsequio præverterent. Hac usus animorum consternatione Princeps, catholicis probatæ fidei tuendas commisit urbes, arcesque provincie præcipuas. Mox firmatam sibi videns imperii vim, Romanæ religionis publicum cultum insigni pompa revocari jubet. Repurgatur solemnibus Ecclesiæ caremonii ades Pali primaria. Sacrum in ea magnifice peragitur. Sacrosancta hostia per urbem, longo præeunte supplicantium ordine, circumfertur. Pompam sequebatur ipse Rex cum ingenti aulicorum, ac ducum comitatu, cereum accensum manu ferens. Myſteria gestabat Episcopus. Hastilia conopei supra ipsum prætenti regebant quatuor ex proceribus. Aderant promiscuæ multitudinis ad decem millia, visendi studio: nam plurimos accolarum fama celebritatis exciverat. Ita demum revocata in Bearniam catholica religione, Episcopis autem in omnia sui ordinis jura restitutis, Rex discessit. Verum hæc hæretici sic spectaverant taciti, ut certis indiciis appareret non laturos diutius, quam metu in obsequio continerentur. Et vero statim ab discessu regis rebellaverunt denuo, missaque legatione Rupellam, ubi generalis conventus sectæ celebrabatur, gregalium plerosque ad rebellandum pariter incitaverunt. Trepidatum ubique est armorum vel tumultu, vel metu; in Aquitania præsertim, & Occitania, ubi factio majores habebat vires. Nihil intentatum omisit Rex, ut rebelles ad officium sine cade & sanguine revocaret. Sed tandem in scelere obfirmatos justo pioque bello perſecutus, intra sesquiannum ita contudit, ut spoliati arcibus oppidisque, quæ jam pridem in pignus securitatis acceperant, pacem orare suppliciter, & perfidia poenam deprecari coacti fuerint.

Tot inter belli tumultus Societati Gallicæ major patiendi, quam agendi copia oblata est. Socii provincie Lugdunenſis Dea Vocontiorum, quam Diam vocant, itemque Nemauso, atque Uctia, quas urbes hæretici quasi fiduciario jure tenendas acceperant, ejecti fuerunt. Per provinciam Aquitanam, & Tolosanam, quæ belli sedes erant, rebus adeo turbatis, sacrarum expeditionum cursus est interruptus. Nihilominus ex ipsa illa temporum calamitate nonnihil frugis collectam. Utilem in regis castris fuisse nostrorum operam, disertissimis verbis tradit Gabriel Bartholomæus Gramondus Senator Tolosanus in historia prostratæ rebellionis. Ubi etiam refellens libellum querimoniarum, Regi a concilia-

83.
Bearnienſium
contumacia con-
tra regem.

84.
Regis ipſo ad-
ventu comprimitur.

85.
Revocatur in
Bearniam cultus
catholicus.

86.
Rebellant iterum
Bearnienſes, iterum co-
ercentur.

87.
Societatis incommoda inter
tumultus armorum.

88.
Sociorum labo-
res ex testimo-
nio Bartholo-
mai Gramondi.
* Lib. 2. cap. 2.

* Lib. 3. cap. 9.

89.
RES TOLOSANÆ.
Res gestæ in
exercitu regio.

90.
Domus Profes-
sorum Tolosæ
constituitur.

91.
Difficultates in
eo opere supe-
ratæ.

ciliabulo Rupellensi oblatum, notari jubet postremum ejus libelli caput, quo Jesuitæ dicebantur auctores unici decretorum, quibus Calvinii religio conficiebatur, atque ita loquitur: * *Notari par est, quam acerbe scētarii Jesuitas, gentem innocuam, oderint; quibus, si sine invidia calculus ponitur, vix dici potest, quantum hoc bello Gallia victricis debeat.* Duas prævalidas perduellium urbes Rex oppugnandas susceperat: Engeriacum primo, seu Fanum S. Joannis apud Sanctones, quod etiam subegit: deinde Montalbanum in finibus Aquitaniæ, unde, pestilentia in castris grassante, discessum est re infecta. Neutrubi desideratus sociorum labor. In oppugnatione Engeriacensi, narrat Gramondus, inductum fuisse in mores, ut stationarii milites subituri vallum, prius manipulatim ad genua Sacerdotum acciderent, & piaculari confessione conscientiam expiarent. Inde, ait, in amplam digressi planitiem, certas quasdam peragebant in communi preces, & secundum hæc ad stationem quisque suam incredibili alacritate pergebant. Vallum custodientibus affuisse omnium maxime Jesuitas, idem testatur, * *eorumque in tali bello zelum (ipsa ejus verba refero) supra fidem magnum, & laude dignum fuisse.* Hi Patres, qui, quotve fuerint, incertum. Illud minime dubitandum, ex provincia Aquitaniæ omnes fuisse.

Pari studio subvenisse socios Tolosanos obsidentibus Montalbanum, indicant Mutii Generalis litteræ, quibus in hunc modum rescribit Nicolao Villiesio Provinciali: *Sane, inquit, gaudeo, nostros Patres, qui in ista provincia ad Christianissimi Regis exercitum profecti sunt, fructu maximo, & ædificatione omnibus officiis charitatis defungi, & esse tum militibus, tum ducibus gratissimos.* Hoc enim ex multorum litteris intelligo. Sic ille Idibus Octobris. At IV. Cal. Januarii alias ad eundem litteras dabat, ex quibus colligo, plures sociorum in obsequio militum periisse. *Doleo, inquit, jacturam fecisse provinciam tot bonorum operariorum. Sed illi, meo judicio, non potuere vitam finire gloriosius, quam in causa tam pia, atque laudabili.* Quæ cum magnam vulgo admirationem haberent, minus miror excitatos tandem fuisse cives Tolosanos, ut nobis in urbe sua domum Professorum extruerent. De hujus operis institutione agi coeperat temporibus Claudii, extabantque jam tum certæ pecuniæ nobis cum in usum testamento legata. Verum tot ex adverso impedimenta confurrexerant, ut Patres Tolosani negotium desperarent omnino. Scripserant proinde ad Mutium, an non verius esset bona domui nunquam extituræ legata conferre in usum templi, quod tunc maxime sibi collegium strueret? Quibus referens Mutius, nefas id esse dixit. Quæcunque nimirum Societas ex aliena beneficentia accepisset, ad eos duntaxat usus servari debere, quos ab initio largitores præscripserant. Verum ipsi ne desponderent animos: urgerent opus, quod maxime e re divina esset futurum. Rerum salubriorum initia multis plerumque difficultatibus implicari: sed vinci demum omnia sedulitate, atque patientia. His erecti litteris Patres, ad excitandam Professorum domum curas omnes, & studia converterunt: quodque prius desperationi proximum erat, hoc anno feliciter confecerunt. Emendis ædibus subsidium opportunum affuit ab egregio juvene Paulo de Pinis, qui claro ortus genere, & commodo patrimonio instructus cum esset, se suaque omnia Societati dicavit. Difficultates reliquæ, quæ totam negotii seriem usque ad hunc annum produserant, facillime sunt disjectæ. Obstiterant primo Canonici primariæ ædis, deinde Octoviri Capitolini, qui summus est apud Tolosates magistratus, plures denique religiosorum familiaria: omnesque pariter ne novum Tolosæ domicilium Societas conderet, intercesserant. Intercessionem omnem unæ Regis litteræ sustulerunt, quibus litteris Rex causam Societatis Senatui impense commendabat. Principis commendatio cum videretur habere imperii vim, nemo obistere ausus est. Illud tantum Canonici pervercerunt, ne nova sedes Societatis intra fines eorum curiæ consistere, de qua re nemo magnopere pugnabat. Atque ita demum cunctis consentientibus, ex decreto supremæ curiæ, quam Parlamentum vocant, stare cœpit Tolosæ domus Professorum, secunda post Parisiensem in tota Gallia. Pri-
mus

mus illi præses fuit impositus P. Bartholomæus Jaquinotius, qui cum esset pietate ac prudentia clarus, cunctisque instructus dotibus, quibus maxime mortali-um animi conciliantur, ad ipsius incrementa haud parum contulit. Surgebat domus, cum Rex, obsidione Montisfalbani ob eas quas dixi causas in opportunius tempus dilata, Tolosam venit. Commodum agebatur a nostris de sacra-æde domui adjungenda. Id ille cum audisset ex Patribus, cognovissetque de- liberatum ipsis esse novum templum S. Ludovico Regi dicare: *Ludovico*, inquit, *fatis in tota Gallia templorum est. Hoc Beato Parenti vestro Ignatio consecratum velim.* Quod dictum nostris cum magno assensu approbantibus, addidit ipse, se jampridem B. Ignatio ædem vovisse: at siquidem differre voti solutionem propter angustias ararii cogeretur, velle nunc istius primum lapidem ponere sua manu. Patres humanissimo principi gratias prolixè egerunt, quæque ad ritum celebritatis opus erant celeriter paraverunt. Ad constitutam diem affuit in area designata Rex magna procerum manu stipatus: interque solennes Ecclesiæ ca- remonias ad ima templi fundamenta delapsus, ibi lapidem collocavit his exara- tum litteris. *D. O. M. Ludovicus Justus Rex Christianissimus ob rem adversus hæret. fact. bene ac felic. gestam ex voto. P. Vicenial. et. Anno D. MDCXXXI.* Quibus peractis, Tolosa Monhurtium profectus est.

Prius tamen quam abiret, rem ex improviso præstitit, quæ omnium men- tes magnopere perculit, sermonibusque multis ac variis materiam præbuit. Quintus vertebat annus, cum a confessionibus utebatur P. Joanne Arnulpho. Hunc nihil minus cogitantem a se dimisit, ac ne porro aulam sequeretur ve- tuit. Dimissionis nuncium Arnulpho attulit Luinaus Comes stabuli: nec ulli dubium fuit, quin idem fuisset regii auctor imperii, qui minister & interpres erat. Hæsit paululum Arnulphus, tam inopina denunciatione percussus; qua- que erat rerum aulicarum peritia, qua manu jactum esset telum pervidit, nec vero dissimulavit. Superos hominesque testes fecit, nihil sibi aliud in regenda regis conscientia fuisse propositum, nisi ut ille sancte regnum administraret. Hoc suum crimen esse unicum, cujus causa pelleretur. Cæterum, ut erat idem moris religiosissimi, id sibi beneficii loco futurum professus est, quod abstinere aula juberetur, loco nimirum periculoso, & curarum pleno. Solummodo quæ- sivit ad regem aditum, ut eum supremo salutaret; eamque ob causam Monhur- tium perrexit. Prohibitus ad Regem ingredi, rediit Tolosam, ibique sub- stitit, suam deinceps, & proximorum salutem unice curaturus. Illum antea, Rex eximie dilexerat, illum plurimi semper fecerat, nec ulla apparebat justa causa, ob quam tam subito voluntatem erga illum suam mutasset. At non om- nibus in aula, ac minime omnium Luinao placebat, patere quotidie Principis aures atque animum viro, non solum probo cum primis integerrimoque, sed etiam spiritus ingentis, & liberi, qui nullo cujusquam respectu quæ sentiret aperte loqueretur. Hanc plerique censuerunt causam fuisse, cur ab regis latere divelleretur. Sed quæcunque ea demum fuerit, Mutius ad Villiesium Provin- cialem scribens, affirmare non dubitavit, *Dimissionem Arnulphi apud omnes æ- quos rerum æstimatores fuisse quasi testimonium laudis, in ejus vitam actionesque redundantis: nemine non agnoscente, suis illum consiliis, & in regendo Christia- nissimo Rege prudentia, studioque religionis, non de Gallia modo, verum etiam de Ecclesia universa optime meritum esse.* Jam vero Comes stabuli Luinaus, si vere is, ut vulgo creditum est, auctor dejiciendi Arnulphi fuit, fructum ejus rei brevissimum cepit. Quippe mense vix evoluto, cum esset in ipso robore, ætatis, & in summo culmine fortunæ, immatura morte sublatus est: id quod multis visum notabile. At malevolorum lætitiæ brevi ingens mœror excepit. Arnulphi enim loco, ad regendam conscientiam regis, lectus est paucos post dies de Societate P. Gaspar Seguiranus: quæ res Ugonotis tam ægre fuit, ut nihil supra. Coquebat illos etiam quod viderent, florere uti prius Arnulphum opinione virtutis, & in magna apud omnes gratia esse. Sane Rex, quæcunque jactarentur initio, nihil præstitit, unde illi offensus videretur. Quin

To. I.

Q 9

ali-

92.

Ludovicus Rex primum Tolo- sani templi lapi- dem ponit.

93.

Rex dimittit P. Joannem Arnulphum, quo utebatur a confessionibus.

94.

Conjecturæ circa causas dimissionis.

95.

Triumphans ob eam rem male- voli, sed non diu.

96.
Fundantur col-
legia Societatis
Albenaci, &
Aureliaci.

97.
RES LUGDU-
NENSES.
Labores socio-
rum in diversis
provincia par-
tibus.

98.
Mors & elo-
gium P. Hum-
berti Selini.

99.
RES TOLETANÆ.
Mortuus Rex
Philippus, ei-
que assistit Pa-
ter Hieronymus
Florentia.

aliquanto post redux ab expeditione subalpina eum occurrentem sibi latus vidit Valentia, pluraque pro Societate ipsius deprecatione confecit: argumen- tum benevolentia vel nunquam amissa, vel facile recuperata. Eundem vero vix aula jussim abistere Præsules Ecclesiarum exposcere certatim, & habendis concionibus destinare cœperunt adeo contentiose, ut Mutius suo unius arbitrio servaverit, cui illum permetteret in annos singulos. At enim factionem Ugo- notarum nihil urebat gravius, quam quod multiplicari per idem tempus vide- rent domicilia Societatis in Gallia. In una provincia Tolosana, præter domum Professorum, de qua supra dictum est, statio Albenacensis, quæ fuerat hæc- nus perangusta, ante hujus anni exitum justi collegii censum, & jus obtinuit. Aureliaci vero cives, vix operam sociorum experti, nulli parcendum impen- sa censuerunt, ut stabilem apud se haberent Societatem, & commodis vesti- galibus tuerentur. Itaque anno eodem collegium Aureliacense civium benefi- centia inceptum, perfectumque est.

Similiter in provincia Lugdunensi, Massilia, Aquis sextiis, & Foro-Julii jaciebantur hoc tempore fundamenta domiciliorum, quæ serius ocysus erecta sunt. Sed de iis infra sermo redibit. Nunc ex gestis intra provinciam quæ vi- dentur notabiliora, summatim perstringam. In ipsa urbe Lugduno hæreticorum duodequingenta hortatu nostrorum ad Catholicos redierunt. Idem consilii ceperunt viginti novem in finibus Vocontiorum. Foro-Julium missi duo Patres, civitatem invenerant binis factionibus misere dilaceratam. Multi malo reme- dium adhibere studuerant frustra. Ipsi, peracta sacra missione, redintegratam inter cives concordiam pristinam lati conspexerunt. Bellicii prava invaluerat con- suetudo, ut licentiam bacchanalium producerent usque ad lucem diei, quæ prima est esurialium. Pravitatem acrius infectatus est unus nostrorum, & unica concione sustulit sic, ut eo die, licet conducti de more essent symphoniaci, paratumque omne instrumentum profanæ celebritatis, ad locum saltationibus des- tinatum nemo accesserit. Ex Ebredunensi collegio operarii duo in sacram ex- peditionem egressi, valles Barcelлонensem, & Queyracensem peragraverunt, ac præter communes hujusmodi peregrinationum utilitates, nebulones quosdam exegerunt, qui multa sibi divinitus ostensa de statu mortuorum mentientes, rusticam decipiebant plebem in tantum, ut unusquisque omnia sibi licere arbi- traretur, modo illis aliquid pecuniarum dedisset. Verum inter hæc provin- ciam obitu contristavit suo P. Humbertus Selinus, vir domi forisque laudatissi- mus: de quo nihil amplius dicam, nisi quod annos omnino quadraginta, quot vixit in Societate, nullam nostrarum legum prætergredi unquam est visus, ne illam quidem prima specie leviolem, quæ ad silentium spectat. Patientiam ipsius & mansuetudinem difficiles aliquorum mores sæpius probarunt. Si quan- do a quoquam objurgaretur asperius, ipse vocem premens nihil reponerat: ne vero alii, qui forte adessent, objurgantis intemperantia offenderentur, jo- cari eum, non serio dicere affirmabat. Erat ejus familiare dictum, animum im- molari Deo debere: eademque novissima fuerunt verba, in quibus eum vox & vita defecit. Obiit Dolæ die Novembris ultima, annum agens ætatis sexagesi- mum. Patria illi fuit Dinantum in diocesi Leodiensi. Atque hæc de rebus Gallicis.

Progredienti ad Hispanicas offert se statim in provincia Toletana Philip- pi III. Regis obitus, qui quidem eventus proprias habet causas, cur in anna- les Societatis referendus videatur. Philippus biduo ante quam moreretur, sus- ceptis jam ultimis Ecclesiæ sacris, & filiis supremum valere jussis, metu futu- ræ sortis angi supra modum cœperat. In ea animi perturbatione, vocari conse- stim ad se jussit nostrum Hieronymum de Florentia, concionatorem magnæ fa- mæ, sibi que gratissimum, quicum solitus antea fuerat familiaris interdum, quam regum consuetudo ferat, sermones habere. Is cum accurrisset, incredi- bile est, ut brevi regem ex illa agritudine ad spem & tranquillitatem erexerit. Adstabant lecto corona procerum, & Confessarius, ex familia Dominicana Sa-

Sacerdos. Suam morienti sollicitudinem quo poterant modo testabantur omnes. Rex unum Florentiam attendere, unum audire, cujus oratione cæteri quoque fiducia & lacrymis complebantur. Narrabat deinde Confessarius, vir prudens cum primis, & doctus, se quidem semper antea Florentiam fecisse plurimi; veruntamen quantus ille vir esset, tunc primum liquido intellexisse: neque enim alium sibi unquam auditum, qui tanta simul pietate & prudentia, ac omnino tam apposite loqueretur. Rex magnopere recreatus, gratias egit homini semel atque iterum, eumque ut adesse sibi pergeret usque ad extremum, rogavit. Mox novum sermonem exorsus, ter ipsum compellens nomine: *Quam*, inquit, *tibi gratiam referam pro tuis tam multis in me officiis?* jubebatque efari, qua maxime re gratificari ei posset? Cui vir egregius, ut filio Societatis dignum erat: *Id unum*, ait, *rogo te Rex, ut si vitam produxeris, omnes pro eo ut meriti fuerint, honore aut pena afficias.* Exinde ægrum nunquam dimisit, & ad anxietatem identidem relabentem, ad spem optimam excitare non desistit. Audierat semel exclamantem, malle vitam egisse in solitudine, quam regnasset: quam vocem excipiens: *Vive*, inquit, *Rex tam diuturnæ solitudinis premium a Deo referre?* eoque affirmante: *Fac ergo*, subintulit, *ut & vitam, & incolumitatem, & regnum abjicias ante pedes regis regum, ejusque arbitrio libens volensque permittas quid his omnibus fieri velit.* Promptus ille ad omnia, verba præeuntem sequebatur, eadem animi sensa & voce, & lacrymis expromebat: donec omni solutus metu, & in spem vitæ melioris erectus, novissimam horam placide admodum, ac feliciter obiit die Martii ultima. Eo vix mortuo, filius & hæres Philippus IV. Florentiam suprema patris mandata deferentem benigne admisit, de opera parenti impensa multum laudavit, ac suis in posterum fratribus esse iussit a confessionibus.

At idem paulo post gravem Societati curam injecit, quam modo explicare aggredior. Jamdiu institutum fuerat apud Patres Franciscanos, ut quicumque ex eo ordine in Indiis degerent, regerentur per proprium magistratum (Commissarium ipsi vocant) affixum curiæ Matritensi. Magistratus istius constituendi destituendique arbitrium non est integrum penes ordinem. Duos ad præfecturam designat Minister generalis, ex quibus quem elegerit Rex, ille provincias Indiarum in perpetuum administrat. Jam vero placebat Senatui Indico, similis formæ magistratum institui in omni ordine religioso, proindeque etiam in Societate: quam Senatus sententiam approbante Rege, videbatur negotium prope confectum, nisi occurrisset novitati periculose Mutius, & rem Societati perniciosissimam declinasset. Novi decreti hæc præferebantur præsertim causæ. Omnes Indorum curias ad regem, jure ut appellant patronatus, pertinere: plerasque hominibus religiosis esse commissas. Oportere ergo, ex cunctis ordinibus unum aliquem semper esse Matrity, qui subinde Regem doceret de statu curiarum, qui jus haberet in Parochos, qui ad eos Regis imperata transmitteret. Neque enim hæc fieri per generales ordinum Præpositos tam procul degentes Romæ satis commode posse: cum sæpe naves ante solvant ex Hispania, quam Roma responsa venerint, ex quo non raro contingat, negotia, quibus celeritate opus sit, mora corrumpi. His rebus cognitis Mutius, recte intelligens agi negotium maximi ad rem Societatis momenti, brevi commentario complexus est quæcunque ad dimovendum ab eo consilio Regem, ac Senatum Indicum apta existimavit. Ac primo quidem, per ejusmodi magistratum Generali Præposito non obnoxium funditus eversum iri, ajebat, regiminis formam plane admirabilem, in qua B. P. Ignatius præcipuam vim conservandæ Societatis constituisset. Sic enim institutum esse apud nos, ut quamquam publica rerum administratio per diversos potestatis gradus distincta sit, ad unum tamen moderatorem omnia referantur. Hinc inferiores Societatis præfides, contra quam in aliis ordinibus fieri soleat, ubicunque gentium creati a solo Generali Præposito, nec plus habere legitimæ potestatis, quam ab illo acceperint. Quis jam non videat, novo hoc, eodemque perpetuo magistratu Indico tolli penitus, ac dissolvi tam pulchram, tam

To. I.

Q9 2

ne-

100.
Quam sancte
P. Florentia mo-
riensi adtiterit.

101.
Philippi IV. de-
cretum de ma-
gistratu extraor-
dinario pro In-
diis.

102.
Mutius de-
cretum Societa-
ti perniciosum
declinat.

necessariam membrorum omnium conjunctionem cum suo capite? Quis deinde spondeat, edito semel exemplo in provinciis transmarinis, non idem quoque alias intra Europam provincias postulaturas? Quod si hæc, qua hæctenus Societas stetit, conjunctio solveretur, Societatem ipsam dissolvi, & concidere necesse esse ostendebat. Ad rationes, quæ ex adverso producebantur, curæ sibi fore spondebat, ut regem de rebus Indicis ad curiarum administrationem pertinentibus, quoties collibitum esset, certiolem faceret Procurator a se constitutus Matrili. Quod si tamen contingeret, aliquid esse Curionibus imperandum, de quo propter navium festinationem Præposito Generalis responsa expectari non possent, se ad hunc usum potestatem quanta opus esset Præposito provinciæ Toletanæ collaturum: atque ita Regem facillime, ac Societate indemnâ, quæ maxime vellet consecutum. Hæc Mutius, & plura scripto executus, commentarium transmisit Matrili ad Patres Petrum Pazium collegii Matritensis rectorem, & Franciscum de Figueroa Indiarum procuratorem, ut eadem ad præsidem Senatus Indici Ferdinandum Carillium deferrent, uberiusque explicarent. Quibus jussa facientibus, Carillius victus rationum pondere mutavit mentem usque adeo, ut datis ad Mutium litteris receperit, nihil posthac in ea causa decretum iri, unde Societatis instituta convelli, aut aliqua ex parte labefactari possent.

103.
RES LUSITANÆ.
Controversia
de decimis ab
Eborensi Ar-
chiepiscopo ex-
citatur.

104.
Quæ turbæ ob
eam causam or-
tæ sint Ebore.

105.
Gregorius XV.
controversiam
componit.

Plus negotii fuit in componendis aliquibus controversiis, quibus Societatem eodem tempore exagitabat in Lusitania Joseph de Mello Archiepiscopus Eborensis. Primam controversiam moverat contra immunitatem decimarum, quam Paulus III. primo, deinde Pius IV., postremo Gregorius XIII. Societati concesserant. Adjunctis autem sibi, ut in communi negotio, cæteris regni Præsulibus, collegiisque Canonicorum, & Parochis, decretum abstulerat a Paulo V. Pontifice, ut nostri futuris temporibus bonorum, quæ ad illum usque diem acquisivissent, vigesimas solverent: si qua vero compararent in posterum, eorum decimas deberent. Erant in eadem causa cætera religiosorum familiarum. Illis tamen jus longa consuetudine partum retinentibus, nemo erat molestus. A sola Societate novum vestigal Clerici exigebant: & Ebore quidem non eadem æquitate, qua in cæteris regni partibus. Censebantur in bonis collegii Eborensis aliqua olim ex ipso censu sedis Archiepiscopalis excerpta, quæ non tam privilegio Pontificum, quam ex ipsa lege pactorum, quibus nobis ab initio fuerant tradita, ab omni pensione decimarum exempta erant. Quippe fundator collegii Cardinalis Henricus, tunc Eborensis Antistes, deinde Rex Lusitanæ, auctoritate Pontificis interposita, bona illa in dotem collegii sui Eborensis contribuerat sic, ut eorum etiam decimas in summam dotis conjiceret. Ex hoc ipso nihilominus bonorum genere vicarius Archiepiscopi vigesimas postulabat. Negante se daturum rectore (erat is P. Joannes Correa), & causas reddente cur non deberet, orta est contentio non levis, quæ demum in publicam offensionem erupit. Nam cum nostri appellationem ad sedem Apostolicam interposuissent, ea contempta vicarius rectori denunciavit, nisi vigesimas intra præfinitam diem solvisset, anathematis damnatum iri. Rector adversus vim diploma regium opposuit, quod Hispani *Tuitivam* vocant. Hoc decreti genere Rex Clericos Apostolicam sedem appellantes tuetur, ne dum Romæ pendet appellatio, per minores judices molestia afficiantur. Res more & legibus adhibita, adeo non fregit vicarii impetum, ut incitaverit potius. Itaque ad atrociora hinc inde ventum est. Rectorem vicarius anathemate feriit. Vicissim conservator Eborensis academiarum vicario pro potestate denunciavit, ut censuras refugeret, jussaque non facientem percussit anathemate. Causa denique ad Paulum Pontificem delata est: qui tamen censuras ex utraque parte sustulerit, rectori tamen succensuit gravius, quasi ope regis voluisset resistere judici Ecclesiastico, ne Pontificum decretum exequeretur. Illum proinde magistratu privatum, ad omne publicum munus inhabilem pronuntiavit. Ad decimas vero quod attinet, causam disceptandam commisit consilio Cardinalium, qui re in lon-

longum extracta, & sæpe ampliata, toto fere sexennio quo Paulus superstes fuit, de ea nihil statuerunt. At nunc demum Paulo e vivis sublato, controversiæ finem imposuit successor ejus Gregorius. Qui quidem Pontifex æquum existimans, Societatem in Lusitania eodem frui jure, quo ceteri religiosorum ordines fruerentur, decretum edidit, ne in posterum ex ullo genere bonorum, quæ Societas per se coleret, vigesimas penderet, nisi *Prout alii mendicantes solvere consueverunt*.

Dum hæc adhuc disceptabantur, aliam præsul Eborensis molestiam exhibuit Societati, nec vero levem. Instituerant in eo collegio Patres sodalitiæ ex opificibus, sub tutela Deiparæ in cœlum assumptæ. Inde Antistes materiem nobis ægre faciendi sumpserunt. Obtentu enim cujusdam Pontificiæ sanctionis, quæ olim Clemens VIII. vetuerat, ne laici injussu Episcopi in nova sodalitiæ (Confraternitates vulgo nominant) coire auderent, neu leges sibi aut statuta in communi conderent; primo capita sodalitiæ, deinde sodales omnes alios post alios ad dicendam causam adesse jussit, & Clementis lege damnatos in vincula conjecit. Dimisit eos quidem post dies paucos: sed non nisi multa prius persoluta, datoque a singulis chirographo, nunquam exinde in eam de qua dictum est sodalitiæ formam redituros. Rem sane gravem, & qua Societatis jura aperte lædebantur, Romam ad Pontificem detulerunt, tum Patres collegii Eborensis, tum qui propius injuriam passi fuerant sodales. Pontifex autem Gregorius, auditis Cardinalium sententiis, litem ita composuit, ut omnes in posterum intelligerent, illo Clementis diplomate non tangi congregationes adolescentium ac virorum, quæ in collegiis domibusque Societatis per Generalem Præpositum institui, ac primario collegii Romani sodalitiæ aggregari consueverunt. Nondum hæc Pontifex disensionem judicio suo diremerat, & jam aliam Antistes idem excitaverat, de qua modo dicimus. Eborense gymnasium Henricus Cardinalis fundator multis amplisque, tum a Rege, tum a Pontifice privilegiis ornandum curaverat. Erat porro illud inter præcipua, ut alumni omnes, si modo tabulis census academici essent inscripti, in omni causarum genere solius rectoris jurisdictioni subicerentur. Rector propterea, quia nefas viro religioso forum exercere, duos constituere solebat iudices (Conservatores vocant), alterum ex ordine sacerdotali, e populo alterum, qui academicis sui singuli corporis jus dicerent. Hoc Archiepiscopus ex omnibus collegii privilegiis iniquissimum arbitrabatur. Itaque quam primam nactus est ejus infringendi occasionem, cupide arripuit. Duo alumnorum in sacro ordine constituti, vocati fuerant in suspicionem criminis paulo gravioris. Statim Præsul in vincula conjectos jubet apud vicarium suum causam dicere. Reclamabat rector, vincetos ex æquo & bono repetebat. Cum nihil hæc via proficeretur, pergeretque Antistes tam æqua rogantem repellere cum contemptu, iudex gymnasii conservator reos ex juris formula repoposcit, sed pari effectu. Ne longior sim, persistente Archiepiscopo per varias ambages rectoris jurisdictionem eludere, causa demum ad Romanum Pontificem deducta est, & Purpuratorum concilio ad judicandum proposita. Prolatis Romæ, expensisque quæ in utramque partem afferebantur, pronunciaverunt Cardinales, placere remitti ad conservatorem vincetos, quos in fraudem Apostolici privilegii Archiepiscopus detineret, ejusque stare iudicio. Verum haud multo post Gregorius, certior factus Archiepiscopum non ut par fuerat Cardinalium rescripto paruisse, novo diplomate sua Eborensi collegio privilegia firmavit. At ne sic quidem cohiberi omnino potuit insensus Præsul, ne eadem convelleret denuo, novisque quamdiu vixit molestiis Societatem exerceret.

Interea vero, quasi satis non essent tot ægritudines, quas ex alienata Antistitis voluntate socii capiebant, accessit eodem anno mœror de multorum incommoda valetudine, crebrisque funeribus, quæ collegium Eborense afflixerunt. Genus quippe morbi pestilentiæ proximum, ortum in Castellæ finibus, atque inde latius pervagatum, Eboram usque pervaserat: quo cum plures tota

ur-

106.

Antistes Patrum Eborensium molestiæ ob institutam sodalitiæ.

107.

Eborensis gymnasii privilegia impugnantur ab Archiepiscopo.

108.

Gregorius XV. gymnasii privilegia tuetur.

109.

Collegium Eborense pestilenti morbo conficitur.

III.
Obitus & elo-
gium P. Leonis
Henriquez ju-
nioris.

urbo conflictarentur, hisque nostri passim remedia corporum animorumque circumferrent, aliqui pestem contagione traxerunt, & in collegium intulerunt. Hinc tota familia morbo eodem implicata est, plures extincti. Nullius tamen tam complorata jactura, quam Patris Leonis Henriquez, viri tota Lusitania clarissimi, quem nos Henricium juniorem appellabimus, ut distinguatur a Patre Leone Henricio ipsius patruo, magni item nominis viro, quo rex Cardinalis conscientia arbitro utebatur. Henricius ergo junior, non sanguine, quam virtute conjunctior illi seniori fuit. Fama est, olim adolescenti, cum in horto domestico spatiaretur, oblatum ex improvviso fuisse malum demonem lascivæ puellæ specie, & flagitium suasisse: illum periculo conterritum refugisse statim, & clamorem sustulisse: advolasse famulos strictis gladiis, ut procacem repellerent: nusquam tamen ullius feminæ neque speciem, neque vestigium apparuisse. Addunt, ex iis insidiis elapsam castissimum adolescentem, ad ineam Societatem animum adjecisse. Nihil sane horum de homine, qui innocentissime sanctissimeque semper vixit, incredibile. Quod tamen certius, Societatem amplexus est adolescens mira innocentia. Et quia pio suo proposito videbat adversari vehementissime parentem suam viduam, ea nec salutata digressus est Alcaceva paternæ ditionis oppido, & clam Eboram venit, ubi assumpto ob patrui memoriam nomine Leonis, (nam Petrus antea vocabatur) tironibus adscriptus est. Non referam quantos in litteris, præsertim gravioribus, progressus fecerit. Præstanti sane erat ingenio, ad quod parem diligentiam cum attulisset, dignus est habitus, qui philosophiam, & quæstiones de moribus in collegio Eborensi explicaret. Verum ut his animi ornamentis excelleret plurimum, nimis quantum eadem religiosarum virtutum magnitudine superavit. Duabus præcipue virtutibus eminebat, charitate adversus proximos, & contemptu sui, nec fere unam ab altera se jungebat. Summa illi voluptatum in carceribus inter vinctos, aut in nosocomiis inter agrotos versari, omnium arumnas obsequio levare. Sæpe conspectus est, cum suis deferret per urbem, humeris culcitra, cibaria, vestes, & quæcunque pauperibus vel ad tegenda corpora, vel ad famem arcendam, vel ad nocturnam quietem usui essent. Decem ultimos vitæ annos docendis pueris, & fidei institutionibus publice explicandis totos impendit, ajebatque, tunc vero se multo melius doctoris officio fungi, quam cum naturæ arcana, & morum præcepta diserneret. Multa de illo supra naturæ usum memoriæ sunt prodita, quæ ego, ne longior sim, prætermitto. Illud ad viri commendationem singulare, quod adolescens quidam, cui Leo morienti adlitterat, post obitum se videndum exhibuit sorori suæ, enarratisque quibus fuisset in extremo vitæ insidiis a malo demone appetitus, ex iisdem se ope Leonis evasisse dixit: illum vero in magna gratia apud Deum, & infernis hostibus summe formidolosum esse affirmavit. Obiit Henricius pridie Idus Novembris, anno ætatis quadragesimo sexto, post initam Societatem trigesimo primo. Sed jam ad oras transmarinas properemus.

VII.
RES
MALABARICÆ.
Controversia
Madrensis Ro-
mam deferretur.

VIII.
Bellarmini lit-
teræ ad Goanum
Inquisitorem.

Aggredimur statim ad controversias Madurense triennio ante intermissas, quæ quidem quo essent loco post consultationem Goæ jussu Pontificis institutam, prolixè suo loco narratum est. Hominem suarum partium, & consiliorum suorum conscium, ut tunc dicebanus, Goanus Archiepiscopus Romanam submisserat, qui apud Pontificem & Cardinales nullum non moveret lapidem, & controversia secundum ipsius vota decideretur, opposita autem sententiæ auctor P. Robertus Nobilius impietatis ac superstitionis crimine damnaretur. Ex adverso Joannes Franciscus de Almeida fidei quæstor in India, cum partes Nobilii tuendas suscepisset, scriptis Romanæ litteris, rem omnem uti gesta fuerat Goæ exposuerat: idque præter alia Cardinali Bellarmino perscripserat: *P. Robertum illuminasse totum orientem, & ex ipsis Brachmanum libris aperte demonstrasse, signa illa, quæ in suspicionem idololatriæ vocabantur, mera esse signa nobilitatis antiquæ, & ad idololatriam nullo modo pertinere.* Hæc relatione majorem in modum recreatum fuisse comperio Cardinalem Nobilii avunculum.

In-

Inquisitori quidem certe in hæc verba rescripsit . „ Accepi litteras tuas , & Deo gratias egi , quod accenderit cor tuum ad amplectendam , & propugnandam veritatem . Ex quo intelligitur , priorem tuam sententiam non fuisse fundatam in asserendi voluntate , sed in opinione , quam hic habebas de negotio , quod in controversiam vertebatur . Quamvis autem in conventu hominum doctorum , qui habitus est Goæ , plures assenserint Archiepiscopo Goensi , quam Cranganorensi , accepi tamen , multos viros doctos , qui ad conventum illum vocati non fuerunt , scripsisse sententiam suam , eamque optimis rationibus confirmasse , & ad summum Pontificem per viam Lusitaniæ misisse . Et quamvis Archiepiscopus Goæ miserit hominem quemdam suum per viam breviorē , qui jam hic Romæ est , & litteras , atque alia scripta miserit , & mihi etiam scripserit , & persuadere conatus sit , Robertum Nobilem esse nimis audacem , tamen tandem veritas vincet . Expectamus ex Lusitania , non solum quid de præsentī controversia Goenses sentiant , sed etiam quid sentiant alii permulti , quorum scripta per Lusitaniam ad nos mittentur . Ego vero non possum non magnas agere gratias tibi viro optimo , & doctissimo , & precari a Deo præmium sempiternum , quod libere sententiam dicere volueris , & mihi etiam scribere aperte quid sentias , ut summus Pontifex omnia vere sciat , & definiat quod ad majorem Dei gloriam , & Ecclesiæ utilitatem esse censuerit . Vale , & pro me Dominum Deum ores , ut hominem jam pene octogenarium de hoc ergastulo eruat , & ad patriam dulcissimam lætissimamque perducatur . Romæ die 22. Decembris 1620. Alteram eodem die epistolam Bellarminus dedit ad Goanum Archiepiscopum , cujus litteras acceperat a Sacerdote Romam , uti diximus , misso . Sic autem scribebat . „ Illustrissime Domine . Accepi litteras Reverendissimæ amplitudinis vestræ , quibus valde reprehenditur Robertus Nobilis , quasi novam doctrinam invehere velit in istas regiones . Et quidem si omnes alii , qui ex India ad nos scribunt , idem dicerent , non dubitarem illum graviter accusare . Sed habeo non paucas epistolas aliorum , qui contra sentiunt , & supra modum eum laudant , quod magno labore & studio libros Brachmanum legerit : quique ab aliis censentur ritus falsæ religionis , eos re vera esse ritus nobilitatis putant , ac per hoc non impedire conversionem ad veram religionem , quæ sola est Christiana & catholica . Utrum autem res ita se habeat ut P. Robertus censet , aut non ita se habeat , & P. Robertus decipiatur , non est meum judicare ; sed Apostolica sedes , lectis multorum litteris quæ huc missæ sunt , & auditis consilii sapientium consultorum , declarabit quæ sit veritas . Et siquidem reprobabit P. Roberti sententiam , cessabunt Brachmanes admitti ad sacrum baptismum , nisi signa sua dimittant . Sin autem approbabit sententiam P. Roberti , facilior erit conversio Brachmanum . Hæc mihi interim occurrebant quæ scriberem Illustrissimæ dominationi vestræ , cujus me sanctis precibus humiliter commendo .

Goæ interim fidei Inquisitor Almeida quæstionem accuratissimam de causa tanti momenti exercendam susceperat . Perlata sunt ad eum ex ipso Madurensi regno amplissima testimonia , & monumenta tum publica , tum privata , ex quibus quid falsi , quid veri subisset plane cognovit . Tum adhibitis in consilium ecclesiastici fori lectis iudicibus , quid ipse , quid doctiores quique in ea causa sentirent , ad Ferdinandum Mascareniam supremum in Lusitania Inquisitorem perscripsit . Addidit documenta omnia , quæ ad manus habere potuit , ac præsertim egregium commentarium a P. Nobilio super eadem causa elaboratum . Ferdinandus , cui pariter Goanus Præsul omnia suæ partis documenta transmiserat , hæc atque illa pervolutans , viros totius regni doctissimos in consilium vocat , reque cum illis diu ac multum deliberata , uno denique omnium consensu pronunciat , sententiam P. Roberti omnino veram ac tutam videri . Tum rationes omnes , quibus tum ipse , tum alii doctores ducti ita censuerant , brevi scripto executus , scriptum istud Romam ad Pontificem mittit . Rationum potissima ducebatur ex authenticis juratisque testimoniis Brachmanum illius met

re-

113.
Alia ejusdem epistola ad Archiepiscopum Goanum .

114.
Inquisitionis Lusitanæ iudicium de ea causa .

115.
Quibus rationibus adjudicata .

fuerit Nobilio
causa in Lusita-
nia.

regionis Madurensis, qui libros legum suarum, & indigenarum ritus ac mores optime callentes, prolixè attestabantur, prædicta signa inventa fuisse ad nobilitatis gradus earum gentium indicandos, ac distinguendos. *Quæ testimonia, inquit, ex India nobis perlata legimus, & expendimus. Hoc ipsum, addebat, testantur fideles, virique gravissimi, qui prædictas regiones peragrarunt, & illarum gentium mores diligentius indagarunt. Quorum virorum aliquos Ulyssiponem appulso egomet, & cæteri doctores allocuti sumus, ipsorumque testimonium judicium hoc nostrum comprobavit.* Confirmabat sententiam suam usu quotidiano Indorum, & consuetudine, qui licet diversas, ac plane contrarias sequantur in colendis falsis numinibus sectas, iisdem tamen, nec dissimilibus, si sunt ejusdem ordinis ac nobilitatis, utuntur insignibus. Quod objiciebatur, lineam ante aliquot annos damnatam fuisse superstitionis in duobus provinciæ Goanæ conciliis, id ajebat causâ nihil obesse. Patres enim utriusque concilii non alios audisse testes, nisi accolæ maris, homines scilicet natos in ditione Lusitanorum, horumque moribus educatos, qui proinde antiquam gentis disciplinam penitus ignorarent. Et vero Alexium Menesium, notæ prudentiæ ac sanctitatis virum, quem posterior illorum conventuum præsidem habuisset, remelius comperta, lineam & voce palam, & factis comprobasse. Alia denique solvebat, quæ quia jam objecta Nobilio vidimus, & ab eo soluta, non putamus hoc loco repetenda. His Romam perlatis, Gregorius Pontifex censores constituit, qui scripta omnia, quæcunque in Asia & Europa de hoc argumento fuerant edita, & totius momenta causâ discuterent. Vix fuit qui non Patris Nobilii, & Lusitani inquisitoris singularem in controversia perdifficili diligentiam ac fidem admiraretur. Quoad ipsam vero causam, visum in sententia Nobilii nihil esse quod tuto permitti, saltem ad tempus, non posset, donec res fierent compertiores. Id præ cæteris censuit Episcopus Armacanus e sacro Prædicatorum ordine, qui causam Nobilio adjudicans, eundem laudavit eximie, & testimonium dedit Madurensi missioni perhonorificum. Jam ergo Gregorius XV. Pontifex, auditis censoribus, & Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem inquisitoribus, die xxxi. Januarii, anno mdcxxiii., Apostolicam constitutionem edidit, qua *humana infirmitatis*, ut ipse ait, *miserando*, Christianis Madurensibus, usque ad aliam sedis Apostolicæ deliberationem, potestatem faciebat utendi suis illis insignibus, *Linea, & Codumbo*, itemque *Sandalo, & lavationibus* (in quibus rebus tota, ut alibi dictum est, illius temporis controversia vertebat): modo ne quid omnium usurparent, quæ præter simplicem usum earum rerum addiderat superstitione aliquorum. Nonnullas proinde conditiones, quibus in earum usu neophyti subjicerentur, sapienter præscripsit. Quo demum supremæ auctoritatis oraculo neophytos nascentis Ecclesiæ in professione suscepta fidei confirmavit, ethnicos vero ad eam in posterum suscipiendam alacriores fecit.

116.
Constitutio
Gregorii XV.
de controversia
Madurensi.

Prius quam hæc agerentur, P. Nobilius æquissimo animo quidquid Romæ decerneretur expectans, Maduram se receperat. Non tamen Goa prius discesserat, quam Archiepiscopum utcunque male de se meritum salutaret. In quo congressu Antistes falsè subridens quæsit ex eo, quid sibi tandem vellet cum illo vitæ genere tam austero, tam novo? An inusitata pietatis commendatione speraret, obrepere se posse ad aliquem in Indiis episcopatum? Doluit vir Apostolicus, abortam hanc Antistiti suspitionem fuisse adeo a mente sua, & veritate alienam. Modeste itaque respondit, id sibi potissimum fuisse causæ cur Societati nomen daret, ut honores & episcopatus Indicis multo nobiliores fugeret. Ea vox curam iniecit Archiepiscopo inquirendi, quis Nobilius, & unde ortus esset? Ut cognovit, apprime claro esse natum genere in Italia, & Cardinali Bellarmino proxima consanguinitate conjunctum, multo deinde habuit benignius. Demum fausta prece abeuntem est persecutus. Ille Malabaricam legens oram, & socios Coccinenses revivens, Maduram paucis post diebus attigit. Quanto neophytorum gaudio exceptus fuerit optimus pater,

117.
Patris Nobilii
congressus cum
Archiepiscopo
Goano.

118.
Conspiratio
contra ipsum
in regno
Madurensi.

nul-

nullis ego consequi verbis possim. At latitiam non tulit malus demon esse diuturnam. Præcipua rerum ibi gerendarum spes, secundum Deum, in Nobilio erat. Ad eum ergo pellendum infernus hostis totis coortus est viribus, remque antea aliis viis machinisque tentatam frustra, nunc per paucos nequitie suæ administratos pene est consecutus. Duo fuerunt neophyti, in quos Nobilius beneficia multa contulerat, Alexius, & Bonifacius. Hi sensim a primo fidei ardore in noxium torporem delapsi, ea commiserant, ob quæ commeriti sunt, ut ab ipsius familiaritate prius, mox etiam a communione sacrorum arcerentur. Ei propterea succensebant ambo, & de ultione cogitabant. Novissime cum inaudissent, P. Petrum Franciscum præpositum provincie Malabaricæ brevi transiturum Madura, consentiunt inter se, ut confictis criminibus ad eum deserant P. Nobilius, & reum multorum scelerum faciant. Ut fidem accusationi concilient, aliquos ex popularibus ad ineundam secum impii consilii societatem inducunt, cumque his egregii artifices ita componunt fabulam, ut in dicendis testimoniis summa constaret omnium consensus, sine ulla varietate discorum. Sic comparati, statim atque de adventu præpositi nunciatum est, eum adeunt pariter, & tanquam solliciti de fama Societatis, virum innocentissimum iis onerant criminibus, quæ ne referre quidem ausim. Utrum Præpositus calumniatoribus fidem habuerit, nec ne, haud satis constat: quippe intra paucos dies extinctus, spatium non habuit sua satis sensa explicandi. In eo certe parum considerate se gessit, quod cum festinaret Coccinum, nec testes interrogare præ angustia temporis posset; id negotii dedit Patribus Gundisalvo Fernandio, & Andrea Bucerio, viris spectatæ quidem probitatis & fidei, qui tamen in controversia de moribus Madurensibus ita tunc a Nobilio dissidebant, ut cum eo propter usum Brachmanici cultus communicare nefas ducerent. Porro in hac naturæ humanæ fragilitate facilius optari, quam sperari prudenter poterat, inter quos tanta esset iudiciorum contentio, contrarietatem nullam, intercedere animorum. Jam ergo ad eos iudices rejecti calumniatores, tam multa ex composito testimonia, ac tanto consensu dixerunt, ut nulla ex parte suspecta testificatio videretur. Bucerio nihilominus non persuaserunt. Ipsam Nobilii vitam, ajebat, objecta satis respuere. Esto enim non esset tantæ virtutis, quantam semper antea præ se tulerat: tamen tam multa, quæ in omni genere turpitudinis objiciebantur, minime in eum hominem convenire, qui tot districtus curis esset, qui in perdiscendis Brachmanum litteris, librisque conscribendis tantum laboris ac temporis collocaret. At apud Fernandium potior hac defensione fuit testium numerus, & perfecta consensus. Itaque de re tota ad P. Gasparem Fernandium (huic Petrus Franciscus moriens provinciam reliquerat) ita perscripsit, ut Nobilius in multis compertus, in aliis suspectus graviter videretur. Acta causæ Gaspar Fernandus Romam ad Præpositum Generalem misit. Interim vero Nobilius, simplici negatione objecta refellentem, iussit Madura cedere in collegium Cranganorense, ibique Generalis Præpositi iudicium opperiri. Paruit vir innocens, gravissimam ærumnam levans, tum conscientia integritatis suæ, tum etiam certa spe, Deum, cujus causâ injuriam perferebat, non passurum opprimi se improborum mendaciis. Et vero citius quam quisquam sperasset detecta est fraus, & mysterium iniquitatis in lucem eductum. Intra annum plures ex illo calumniatorum sodalities, perculsi divinæ ultionis metu, palam professi sunt, quæcunque contra P. Nobilius testificati fuissent, mera fuisse mendacia. Eo non contenti alii, Cranganorem usque trecenta millia passuum advenerunt hac una causâ, ut testimonium innocentie redderent, totamque calumnie telam coram Archiepiscopo, & Patribus collegii retexerunt: hoc fide digniores, quod in detrimentum suæ famæ non pauca aperuerunt, eaque jure jurando interposito confirmaverunt. Ex his ille Bonifacius, quem alterum ex duobus calumnie fabricatoribus fuisse dicebamus, dicta ita recantavit, ut pro irrogata homini immerenti infamia poenam nul-

To. I.

R r

lam

119.
P. Nobilius
confictis crimi-
nibus opprimi-
tur.

120.
In collegium
Cranganorense
relegatur.

121.
Nobilii inno-
centia in lucem
educitur.

lam deprecaretur. Sic igitur cum emerisset innocentia Nobili, cum restor provinciæ, nec expectato Præpositi Generalis rescripto, omni crimine liberavit, & in suam stationem cum honore remisit. Ipse autem Maduram rediit iniquis delatoribus adeo non infensus, ut magis eorum quæ acciderant culpam omnem in se, ac morum suorum austeritatem referret. Id sane ipsum respondit viro gravi & amico, a quo per litteras fuerat monitus, ut præteritorum memoriam abjiceret.

122.
Nobilis in
gravi periculo
tuetur neophy-
tos.

Porro neophytis Madurenſibus nihil poterat tam commode accidere, quam ut tali tempore ad eos Nobilius reverteretur. Obruebantur quippe ethnicorum injuriis, nisi ille intervenisset. Erant plerique sub ditione dynastæ præpotentis, cui certa pars urbis regiæ parebat. Hermachetto nomen illi erat. Vir nondum Christo initiatus, tamen christianæ rei impense studuerat hætenus, & Nobilio domum, sacramque ædem extruxerat. Sed nuper in bellicam expeditionem profectus, cum rem gessisset improspere, & magnam partem impedimentorum amisisset, ut jacturam sarciret, statuerat suis spoliare bonis neophytos, quorum aliquos audierat esse prædivites. Causam obtendebat, quod desertis patriis religionibus, externa sacra frequentarent. Reipsa initium immitti direptioni fecerat a duobus neophytis, qui pridem apud nostros mercede famulati fuerant: namque hi ferebantur magnum pecuniam numerum apud se habere. Cumque ambos in carcerem conjecisset, vix tandem quadraginta unciis argenti persolutis, ut unus e custodia educeretur permiserat. Unius damnum, cæteros incredibili affecerat metu. Hermachettum quippe præda semel illectum, nunquam plane quieturum videbant, nisi omnium similiter fortunas invalisset. Quare sibi caventes, nec congressi cum Patribus audebant, nec jam in ædem ad solemnia religionis conveniebant, ne iniquo prædoni anſam exequendi consilii sui darent. Res ita affectas Nobilius cum invenisset, sine mora contendit ad Hermachettum in castra. Exceptus autem pro veteri benevolentia familiariter, Christianorum causam tam valide, tam apposite peroravit, ut litteras ab eo tandem exsculperit, quibus jubebat nemini Christianorum posthac molestiam exhiberi. Iis litteris soluti metu neophyti animum resumpserunt, & pios ut antea coetus frequentare cœperunt: pusillus vero Christi grex novis subinde accessionibus augeri perrexit.

123.
Obitus & elo-
gium P. Joannis
Mariæ Campo-
ræ.

Provinciam Malabaricam deserere non possumus sine aliqua commemoratione P. Joannis Mariæ Camporæ, viri tota Thomæorum regione nominatissimi, & ejus laboribus apostolicis, & vitæ finem hic annus attulit Cranganore. Flevere illum multis & veris lacrymis christiani S. Thomæ, sed omnium maxime Archiepiscopus Franciscus Rozus, cujus ferebatur familiare dictum, sublato Campora, diocæsim Cranganorensis sine manibus pedibusque relictum iri. Peregrinationem Indicam sæpe antea quæsitam Romæ frustra, semper a Claudio Generali pernegatam, impetraverat demum ope Desiparæ in hunc modum. Viderat exire domo Præpositum Generalem, audieratque in basilicam Liberianam contendere, ut ad aram Virginis sacrum faceret. Processit ad eum supplex, & *Rogo te, inquit, ut voti mei sis memor, quidque me fieri oporteat, consilium petas a divina Matre.* Facturum promisit Claudius: vix autem regressus domum Camporam monuit, ut ad iter Indicum se pararet. Tam peregre profecturo unus quidam ex domesticis adjutoribus icunculam B. Virginis dedit, futurum promittens, si eam impense coleret, ut peregrinas orientis linguas facili negotio condisceret. Promissioni respondit eventus prope ad miraculum: adeo brevi Campora Syriacam, Chaldaicamque linguam percalluit. Decessit v. Idus Novembres, interitu repentino, non tamen improvise. Nam præterquam quod ita vivebat semper, ut ad moriendum nunquam non esset comparatissimus, haud ita pridem totos octo dies cœlestium rerum commentationi impenderat, in eoque secessu, quasi se proxime moriturum sciret, præteritam vitam omnem, exorsus a prima ætate, piaculari confessione purgaverat.

rat. Natus erat Lucae in Hetruria ante annos quadraginta septem. Hujus vero temporis partem non exiguam, annos scilicet amplius viginti, per infinitos labores exegerat inter Thomæos.

De rebus provinciae Goanae plurimae litterae hujus anni tradunt, ex quibus pauca subjicio. Principio novam provinciam sedem adeptam est in imperio Mogolico, atque hæc fuerunt initia. Dynastes quidam Mogolicus, qui ante annos circiter undecim Goæ baptismum donatus fuerat, & inde Joannes nuncupari coeperat, provinciam Patanensem pro rege obtinebat ad ripam Gangis. Is cum quaerendo comperisset, esse per diversa loca tractus Bengalensis aliquos de Societate, unum ad se mitti curavit, cum quo agebat esse sibi quæ communicaret. Affuit ex omnibus P. Simeon de Figueredo, exceptusque a Mogole sic, ut nec amicus, nec honorificentius posset a Lusitano, Patanae in urbe regionis primariae consedit. Post plura & familiaria colloquia, intellexit Sacerdos prudens, Joanni aut nullam esse curam religionis, aut certe minimam: favere illum tamen Societati, sive ob accepta olim beneficia Goæ, sive quod crederet quaestuosam sibi, & ad fovendum cum Lusitanis commercium opportunam fore amicitiam Patrum. Quaecumque favoris esset causa, eo Figueredus utendum statuit ad salutem indigenarum. Aedes itaque, quæ ad novam stationem offerebantur, libens accepit, ibi substitit, & pratoris praesidio tutus de Christi lege apud Patanenses disserere libere ac palam coepit. At labore vix suscepto, parum absuit quin ejus fructum optatissimum meteret, gloriosam appetens pro Christo necem. Interprete utebatur Figueredus adolescente annorum sexdecim, cui Gonzalo nomen, quippe Christiano, & regionis linguam percallente. Et jam ejus opera aliquibus Patanensium persuaserat, ut a Mahomete ad Christum transirent. Id ut vulgari coepit per urbes proximas, exarsit furore juvenis quidam ferox, & superstitioni perditæ addictus. Indignum putans, populares suos a patrio cultu ad Christianorum sacra transferri, ad Sacerdotis tugurium properat cum fida, ipsum pariter, & ipsius interpretem mactaturus. Prior occurrit Gonzalus, quem ut vidit Mahometanus, irruit in inermem, unaque atque altera imposita plaga prostravit. Ad clamorem accurrebat Figueredus. Eum ferox juvenis furenter aggreditur, ac primo casum in summo vertice, deinde punctum circa pectus petit. Conficiebat omnino, nisi supervenisset in tempore vir prævalens viribus, qui sicarium tenuit ne sæviret atrocius. Ita servatus est Sacerdos: latus ille quidem, quod acceptis quinque vulneribus partem sanguinis pro Christo sudisset, at moerens simul, quod non totum profundere licuisset, suoque multum invidens interpreti, qui tali sorte dignus fuisset. Hunc odio christianæ fidei casum fuisse, ipse auctor cadis testatus est. Vincens enim a multitudine, quæ, uti solet, ad facinoris atrocitatem affluerat, productus ad judicem, & interrogatus, quoniam consilio tantum nefas ausus esset? *Servus Dei sum*, inquit: *quod feci, Mahometes jussit ut facerem*. Pratori deinde idem per tormenta querenti aliud respondit nihil, nisi famulum Dei esse se: vim autem externo Sacerdoti, ejusque domestico intulisse, quod eos sciret Mahometi maledicere. Prator, causa cognita, Figueredi ipsius arbitrio permittebat, quo supplicii genere vellet juberet percussorem affici. Cum profiteretur Sacerdos pius, se injuriam illi condonasse, & poenam misero deprecaretur; laudavit ille quidem christianæ mansuetudinis exemplum, nullius tamen admisit preces, ne in fontem jure & legibus ageret. Lapidibus ut impeteretur imperavit. Mox dire contusum, ac pene semianimum elephanto conculcandum objecit: utque poenæ atrocitatem ignominia cumularet, mortui cadaver toto triduo inssepultum in urbe media relinqui jussit. Neque id satis. Postea quam humi mandatum est foetidum corpus, eum audisset Gubernator, mahometica superstitionis antistites prope ipsius bustum suos coetus celebrare, & nefarium homicidam, veluti patriæ religionis vindicem, in coelum tollere; eos arboribus inverso suspensos capite tandiu cecidit, donec toto corpore vibices extarent. Cadaver autem effossum denuo raptari per urbem jussit, ac denique in præterfluentem

To. I.

R r 2

pro-

124.
RES PROVINCIAE
GOANÆ.
P. Simeon
Figueredus novam stationem
figit in regno
Mogolico.

125.
Præclarus
adolescens fidei
causa interficitur.

126.
P. Figueredus
eandem ob causam
vulneratur.

127.
Sicarius supplicio
afficitur.

proji. Quo exemplo adeo perterrefacti sunt Mahometani, ut nemo jam contra Figueredum moliri aliquid, aut vocem mittere auderet.

128.
Grave infortu-
nium Goæ ex
fortuito incen-
dio.

129.
Nostrorum in
eo periculo uti-
lis labor.

130.
Mirabilis
conversio mili-
tis flagitiosi.

131.
Ethnici ad
Christi cultum
adducti Goæ.

132.
Res gestæ in
aliis ora mariti-
mæ domiciliis.

Per idem tempus Goæ gravis, & inopinata calamitas multis salutis fuit. Erat ibi pulveris pyrii ingens officina, ac forte ejus materiæ magna vis in solario congesta fuerat ad siccandum. Solario propugnaculum imminabat, in quo solebant milites diu noctuque excubias agere. Dum excubat unus militum, simulque nicosianæ herbæ fumum inambulando haurit, casu accidit ut ardens illius folii particula evolveret in acervum pulveris. Flammam momento concepit sulphurea materia. Quis vero subitam & immensam incendii vim explicet satis? Repens flamma obstantia quaque cum fragore horrendo disjiciens, prægrandesque saxorum moles huc illuc propellens, ruinam ingentem ædificiis, & parem hominibus stragem attulit. Ad sonitum improvisæ cladis, plerisque metu obstupescatis, prosilierunt e domo Professorum nostri, & ad ferendam quam possent civitati conferratæ opem celeriter accurrerunt. Inventi plures lapidibus oppressi, faucii, animam jam prope agentes. Hi inter ipsa pericula impendentium ruinarum auditi, expiati que fuerunt. Alii, quorum non adeo desperata videbatur salus, ad nosocomium deportati. Quidam semineces eruti ex ruderibus: quos inter cum essent ethnicorum nonnulli, ii rara felicitate, baptismo vix impetrato, vivere desierunt. Per istam occasionem Patres, publico infortunio ad excitandam civium pietatem usi, religiones varias instituerunt: utque instabat novendiale supplicium, quo solet Goæ Societas natalitia divine Matris celebrare, illud majore quam unquam antea apparatu & concursu peragendum curarunt. Per eos dies in tribunali poenitentia multos audierunt diuturni temporis crimina retexentes: inventus autem in eo numero miles, ob exemplum divinæ erga homines indulgentiæ, dignus memoria singulari. Annum jam vigesimum secundum in omni flagitiorum genere volutabatur. Die quadam, dum maxime libidini indulget ac genio, sensit repente circa se parietes velut vehementi motu terræ concuti. Inhorruit metu subito, ac fodiente animum conscientia criminum, mutus attonitusque hæsit ad horæ spatium, tanquam solo mox dehiscente absorbendus. Ne se penitus desperaret, effecit injecta divinitus cogitatio de summa Numinis bonitate, & prona erga omne genus mortalium misericordia. Simul audire sibi visus vocem ex occulto admonentem, pergeret ad adem Societatis: obvium sibi fore Sacerdotem certis indiciiis agnoscendum: illi se totum permetteret. Qua voce erectus, continuo nostrum ad templum properat, inque ipso templi limine unum de Patribus offendit iis quas audierat notis insignem. Huic se totum patefacit, multoque cum fletu omnium, quæ a prima usque ætate deliquerat, confessionem peragit. Rite expiatus, ejusdem hortatu renavigavit in Lusitaniam, ubi denique religionem inter severioris disciplinæ monachos professus est. Insignem pariter effecerunt hunc annum Goæ ethnici magno numero ad Christi signa traducti. Die B. Francisci Xaverii anniversaria, ad adem Professorum perducti sunt uno agmine trecenti amplius & septuaginta, quibus ut Christiani esse vellent nostri persuaserant. Præter hos, quos Christi signaculo donari insigni pompa placuit, intra spatium ejusdem anni ducenti & sexaginta diversis temporibus initiati fuerunt: ut nihil dicam de aliis haud sane paucis, quos in carceribus, in tiremibus, aliisque publicis maleficorum locis conquirit Patrum industria, receptosque ex dæmonum servitute ad Christi castra perduxit. Et hæc quidem Goæ.

Quid jam in aliis ora maritimæ domiciliis gestum sit, quam brevissime expediam. Tanæ capita circiter octoginta, Damani quindecim, Bazaini viginti supra centum, partim ex ethnica, partim ex mahometana prævitæ ad cultum veræ religionis adducta. Plus in christianorum emendatione profectum. Extincta passim odia, tum publica, tum privata, quæ diu in mutuas cædes exarserant. Redintegrata pax inter conjuges, quos ob violatam nuptiarum fidem dolor injuriæ dissociaverat. Alienæ vitæ aut ferro, aut veneficiis insidiantes, a facinore absterriti. Multi denique ab infidelibus, ad quos licentiæ studio trans-

fugerant, ad loca moreſque chriſtianorum revocati. At nullibi lætior collecta fruges, quam in pagis Salfettanorum. Ad hæc loca cum veniſſet Goanus Antiftes, ut eadem ex conſuetudine episcopalis officii luſtraret, peracto cenſu chriſtianorum, reperta ſunt viginti millia capitum amplius quam quinquennio ante fuiſſent. Numeri lætitiæ auxit perſpecta neophytorum pietas, qua major eſſe vix inter chriſtianos antiquiſſimos poſſet. Ut alia præteream, Margani, qui pagus eſt illius oræ frequentiſſimus, ſodalitium a Patribus inſtitutum fuerat de nomine venerabilis Euchariftiæ. Sodales cum impetraſſent ab Antiftite veniam ſemel in menſe incruentam hoſtiam ſupplicatione publica circumferendi, pro ſuis ſinguli viribus ſtipem in apparatus pompæ contulerunt, iſſique pietatis & modeſtiæ ſignis novam religionem obire inſtituerunt, ut plerique Luſitanorum in eo ſpectaculo hærerent admiratione deſixi, negarentque viſum ſibi uſpam in hoc genere quidquam aut decentius, aut religioſius. Verum, inter tot, tamque juſtas lætitiæ cauſas, juſtiſſimo ſociorum mœrore elatus eſt Bazaini frater Didacus Guerreirus, vir ſimplicitatis antiquæ, & in ſuo domeſtici adjuſtoris gradu valde laudatus. Vixerat apud nos annos circiter quinquaginta, eorumque partem multo maximam Bazaini conſumpſerat. Tempus inter laborem operis, & otium contemplationis ita ſolebat dividere, ut officiis utriusque ex æquo ſatiſfaceret. In ſe unum aſper, ac prope immanſuetus, idem, erga alios facilis, & ſumme comis, ſi qua offerretur exercendæ charitatis occaſio, eam arripiebat cupide, non labori, non induſtriæ parcens, ut bene de omnibus mereretur. Obedientia erat tanta, quantam a ſuis poſtulat B. Parens Ignatius: ejuſque fiducia virtutis nihil ſibi arduum arbitrabatur, vel ſi miraculis opus foret interdum. Adeo ſibi in animum demiferat veritatem illius divinæ vocis: *Vir obediens loquitur victorias*. Erant olim Bazainenſes ob anni ſecitatem in maximo, ac juſto metu propinquæ famis. Dum illi calamitatem publicis ſupplicationibus deprecari conantur, collegii rector Guerreirum ire jubet recta ante aram templi maximam, nec inde prius abſcedere, quam optatam pluviæ a Deo precibus exoraſſet. Paruit moderatoris imperio optimus ſenex: atque ubi conſtitit ante aram, parendi neceſſitatem excuſans, Deum rogavit ingenue, ac familiariter, ut niſi vellet ſe nimis diu genibus & orationi inſiſtere, copioſum imbrem demitteret ſine mora. Audivit orantem Deus. Precem vix produxerat ad horæ quadrantem, cum ſubita vis imbrum effuſa eſt. Cœleſtium aſpectu interdum, & alloquio dignatum fuiſſe, crediderunt multi, nec temere. Indicio ſit quod ſubjicio. Navarchus Luſitanus piraticum myoparonem aggreſſus fuerat, ſed bellicis copiis adeo inſtructum, ut poſt tridui certamen nullam ejus potiundi ſpem haberet. Hæc domi cum narrarentur, medius interveniens Guerreirus, deditorem facturos quam primum barbaros affirmavit: id enim ſibi pro Chriſtianorum victoria ſupplicanti ſuperos indicaffe. Nec multo poſt ſecuta re ipſa eſt præter omnium opinionem deditio, uti fuerat prænunciata. Mitto alia ejuſdem generis, ob quæ Guerreirus magnam domi foriſque habuit virtutis opinionem dum vixit, moriens vero immortalẽ memoriam nominis ſui domeſticis pariter & externis reliquit.

Parem mœrorem, & majus damnum creavit Æthiopiæ obitus P. Laurentii Romani: qui quidem obitus vel in maxima operariorum copia, ne dum in illa paucitate multum lugendus fuiſſet. Adeo utiles Æthiopico agro cenſebantur ejus labores. Patriam ſortitus fuerat Laurentius urbem Romam, hauſeratque dignam Romano nomine indolem, excelsam ſcilicet, & quacunquẽ fortuna majorem. Propagandæ ſtudio religionis ex Italia in Indiam, ex India navigaverat in Æthiopiam, ubi annos omnino ſexdecim operam poſuit aſiduam, tum in excolendis Luſitanis, tum in indigenis ad rectam fidem adducendis: nulla unquam cœſſatione admiſſa, ne tum quidem, cum ex diris torminibus periculoſe decumberet. Nullum erat mortalium genus, cui non ad omne obſequium ſe demitteret. Sæpe homines contagioſis morbis implicitos ſuis ipſe manibus curandos ſuſcipiebat. Sæpe cadavera, quæ contingere nemo audebat, ſublata hu-

133.
Mors & elo-
gium fratris Di-
daci Guerreiri.

134.
ACTA
IN ÆTHIOPIA.
Obitus & elo-
gium P. Lauren-
tium Romani.

meris deferebat ad sepulturam. Illum propterea Æthiopes prope ut parentem suum amabant, nec solum amore, sed quadam quasi pietate prosequerantur, quam apud vulgus perspecta viri probitas, & innocentia singularis augebat. Quem porro viventem admirari consueverant, mortuum publica comploratione extulerunt. In regno Tygræo, ubi ætatis maximam partem exegerat, flere ejus obitum summi infimique incredibili planctu & ululatu: quodque solet in luctu maximo, feminae dolorem suum depositione comæ, viri indumentorum mutatione testatum fecerunt. Etiam in regnum Gojamenſe, ac Dambeanum dolor pervasit. Colelæ, & Gorgoræ ad ædes Societatis turmatim Catholici confluerunt, questu omnia gemituque compleverunt. Ipse Imperator, ut in magno reipublicæ vulnere, multum lacrymarum fuisse dicitur. Obiit Romanus Fremonæ pridie Idus Januariæ, annos natus quinquaginta duos, quorum amplius triginta egerat in Societate. Æthiopum linguam ita didicerat, ut credi posset indigena. Inter alios bene multos, quibus veritatem catholicam persuasit, fuit Taquela Salasse Imperatori a secretis, vir ille de religione optime meritus, qui demum in ea rerum conversione, quam suo loco narrabimus, gloriosam pro Christo mortem oppetiit.

135.
Publicatur novum templum Gorgoranum.

136.
Imperatoris eximia pietas in novo templo.

137.
Catholicæ partitis incrementa in regno Gojamenſi.

138.
De quadam insigni supplicatione.

Hujus interea moerorem funeris multæ res, ac variæ lenierunt. Latissima in primis accidit templi Gorgorani, de quo alibi dictum est, publicatio. Biennio minus confectum fuerat templum istud, sumptum faciente Principe, formam operis præscribente Patre Pæzio, qui partes architecti sumpserat. Erat opus ex lapide quadrato totum, & excepto quod non calce, sed argilla duratum, cætera elegans, & Europæis basilicis quam simillimum. Augebat ædificatio pretium aræ maximæ imposita imago Deiparæ, quam nostri ab urbe Roma deferendam curaverant: præclari operis tabula, quæ omnium oculis animosque rapiebat. Apertum primo est novum templum cum ingenti catholicorum concursu. Et quia celebritati interesse non potuit Imperator, quippe adhuc bello Begamedreno, cujus anno superiore meminimus, distentus; ineunte quadragesima, cum ex illa expeditione victor rediret, divertit ad novam ædem cum exercitu. Eam ut prospexit eminus, equo desiliit, ac reliquum viæ pedes confecit usque ad ipsius vestibulum. Neque tamen est ausus ingredi, nisi depositis ante soleis, detractoque capitis tegumento. Ibi cum orasset aliquandiu, reique sacræ interfuisset, singula cum incredibili admiratione, & voluptate lustravit. Quod vero reliquum fuit diei, familiariter, ut solebat, consumpsit apud Patres: quibus etiam postridie certam auri summam constituit, ut aram Virginis elegantius exornandam curarent. Nondum abierat, cum nova illa ædificiorum forma mirifice delectatus, extruendum decrevit aliud ejusdem generis templum, cujus paulo infra mentio redibit. Dum sic novæ divini cultui sedes in regno Dambeæ præparabantur, novi Deo cultores addebantur in proximo Gojamenſi. Schismaticos quadringentos & quadraginta quatuor hoc anno lucratus est unus nobilium, qui se paulo ante Catholicis aggregaverat: ut nihil de aliis dicam, qui hominibus Societatis se tradiderunt. Summa ope promovebat hæc religionis incrementa Prorex Cela-Christus, partim auctoritate, partim industria utens, ut quam plurimos traheret ad veritatem, aut saltem ad audiendos doctrinæ veræ magistros impelleret. Allaborabant eidem rei nostri pro viribus, artes varias excogitantes, quibus contumaciam schismaticorum mollirent. Nonnihil profuit hoc anno pietatis exemplum insigne, quod seminarii Colelani adolescentes publice exhibuerunt. Sexta feria sanctioris hebdomadæ in publicum egressi sunt pii alumni nudatis humeris, & composito ad pœnitentiam agmine: procedentesque supplicantium ordine, seque flagris acerrime concidentibus, ædem sacram circumjerunt. Inter ictus crepitusque plagarum clamabant flebiliter: *Parce Domine, parce, & Æthiopiæ miserere*. Quo spectaculo omnibus qui aderant (aderat autem multitudo frequens, ad audiendam de Christi cruciatibus orationem coacta) excussa fuerunt uberes lacrymæ, multis etiam ad imitandum voluntariæ castigationis exemplum pius ardor injectus. Soli obdura-

durabant contra veritatem monachi. Erat porro nonnullorum conditio miserabilis. Vera esse fatentes quæ ex nostris audierant, suos pertimescebant Cœnobiarchas, ne eadem complecterentur. Dolebant passim, se suorum perfidia præsidum a via salutis arceri. Contumaciam denique obtentu obedientiæ majoribus debita excusabant. Quasi vero jus cuiquam esset quæ divinitus præcepta sunt prohibendi, aut non Deo magis obediendum quam hominibus esset. Alii interea nequiores perfidiam tuebantur apertius, & usitatis artibus contra Principem grassabantur.

Est in extremo latere australi regni Gojamentis ampla regio, & fertilis, quam Damotæ incolunt, homines toto regno nobilitate præcipui, quorum multi ipsum Imperatorem id temporis propinquitate generis attingebant. Huc ex provincia Cela-Christi migraverant aliqui monachorum, ii nempe, qui principalia edicta de religione pati non poterant, & quidlibet movere prius constituerant, quam obtemperare. Vaferrimi nebulones pietatem meram spirantes, magnumque humanarum rerum contemptum vili amictu, & cætero vitæ cultu præferentes, facile sibi auctoritatem pepererunt apud Damotas. Ubi se apud vulgus in pretio esse, & aliquid dicendo posse fenserunt, hortari palam seditiosus vocibus populum, ac plane incendere, ut pro patriis institutis, & nominatim pro custodia sabbati bellum gererent. Irent secum cum armis contra orthodoxos: magno ac forti animo decertarent, adepturi martyrii lauream immortalē, si pro tali causa morerentur. Iis vocibus primi ad seditionem incitati sunt gentis principes. Illi populares reliquos ad arma vocant, collectoque ingenti agmine, Catholicis omnem belli cladem denunciant. Per copias dispersi volitabant more furiarum monachi fere quadringenti, easque subiciebant furori militum faces, ut nihil jam nisi cædes & sanguinem anhelarent. His rebus cognitis Cela-Christus, partim misericordia nobilissimæ gentis, quam videbat aliena fraude deceptam, partim propinquorum suorum caritate, in quos hostiliter ferri molestum erat, ad mitiora consilia descendens, legatos de pace mittit ad Damotas, ut accepta fide impunitatis arma ponant. Sed vehementius illos efferaverant nequissimi mortalium monachi, quam ut mitigari facile possent. Se vero negant ab armis discessuros unquam, nisi prius acceperint catholicorum omnes libros ex latinis chaldaicos factos, omnesque præterea Sacerdotes Lusitanorum: illos abolendos igne scilicet, hos suspendio tollendos. Risit hominum insanam temeritatem Cela-Christus, & proficisci cœpit cum exercitu; lente tamen, & quam modicis itineribus, ut perduellibus spatium respiciendi daret. Et iterum ex itinere certos præmisit homines, qui contumacibus suaderent iussa exequi. Ægre se, ajebat, & invitissimum facere, ut contra affines suos ferrum stringeret. Consulere ipsi sibi in tempore: extrema ne expectarent. Sed nihil magnopere profuit. Hominibus furore incensis, & virium suarum fiducia elatis, visa hæc Proregis sollicitatio magis timentis sibi, quam alienæ saluti parcere cupientis. Ferocius ergo quam prius respondent, non aliis se conditionibus, nisi quas ante proposuissent, in officio futuros. Stetere tandem in conspectu exercitus, primique Damotæ cohortem sagittariorum miserunt, qui velitando in pugnam traherent hostem. Cela-Christus continere non potuit suos, ne strenue pugnam capesserent. Hortantur se invicem regii, & in rebelles irruunt. Uno impetu impulsa, & disjecta omnino est acies Damotarum. Dum illi fuga salutem quarunt, hærent a tergo regii, fugientes cominus insequuntur, ac nequidquam tendente contra Cela-Christo, & clamitante ut ferro parcerent, sternunt quamplurimos, reliquos in fugam abigunt. Eo prælio ex monachis cecidisse dicuntur centum & nonaginta. Reliquæ multitudinis amplius tria millia periire. Victores suorum paucissimos desiderarunt. Fructus victoriæ ingens, tranquillitas publica. Namque, ut Patri Pæzio retulit imperator ipse Seltanus, erant toto regno non pauci novarum rerum cupidi, qui in exitum hujus belli imminebant, parati cum Damotis arma capere, si vicissent. Illorum autem clade ita fracti fuerunt, ut ne

mu-

139.
Monachorum
contumacia contra
veritatem.

140.
Damotæ ad se-
ditionem concitan-
tuntur.

141.
Cela-Christus
comprimere sine
sanguine se-
ditionem cona-
tur.

142.
Committitur
prælium. Da-
motæ profligantur.

143.
Imperatoris
edictum contra
monachos.

mutire quidem auderent. Latiore tamen ex ea victoria fructum pietas Imperatoris excerpfit.

Quippe Imperator, compressam Damotarum clade audaciam schismaticorum videns, ut pro tam insigni beneficio gratum se superis immortalibus exhiberet, præter actas solemni ritu gratias victoriæ largitori Deo, novis vindicare edictis fidem catholicam statuit. Nec vero distulit optimæ mentis cogitata perficere. Tentorium ingens ante regiæ vestibulum erectum fuerat. Huc regni proceres, & primores aulæ convocati fuerunt: quibus suo singulis ordine confidentibus, prodiit in locum superiorem præfectus regiæ domus, & circumfusam multitudinem docuit, quæ sæpius agitata fuissent inter Catholicos & Alexandrinos circa duas Christi naturas. Id longa aptaque oratione executus, ad monachorum conata impia sermonem transtulit. Armatos ab iis sæpe in exitium principis populos, sparsa seditionum semina, illatas regno civilium bellorum elades demonstravit. Nec dissimulavit, quam multa quotidie nequiter, & flagitiose perpetrarent: ut credulo ac rudi populo imponerent pulchre, ut fictam pietatem in quæstu haberent. Quæ cum copiose disseruisset, edicto Imperatoris denunciavit, fore in posterum capitale monachis, si cum quoquam laicorum verba de religione facerent, aut eorum domos docendi specie circumcursarent. Postea quam assedit præfectus, surgens Taquela, sive ut alii scribunt, Tecla Salasse Imperatori a secretis, edictum aliud proposuit hujus exempli. *Jesús Christus Deus idem verus, & verus homo est, utrumque plene atque integre: namque unus naturam obtinet utriusque, nulla alterutrius in alteram mutatione, aut permixtione. Si quis in posterum his contradixerit, ejus caput afferat imperatori, bona delatoribus tribuuntur.* Edictum plaudentibus multis, palam obloquente nemine recitatum cum fuisset, Imperator deleri jussit ex omnibus sacræ liturgiæ libris nomen Dioscori, vetuitque in mysteriorum celebratione ullam amplius mentionem Patriarchæ Alexandrini fieri. Illum, ajebat, ante annos ferè mille & ducentos fuisse damnatum in synodo Chalcedonensi: cum ejus vero successoribus omnem omnino societatem sacrorum abrumpi oportere.

144.
Edicta alia pro
fide catholica.

145.
Exstruitur novum templum opere cæmentitio.

Atque his peractis conventum dimisit. Post hæc Imperator, Pæzio secum adducto in planitiem, quam conferendis regiis hortis elegerat, (Ganete nomen erat loco) describi aream novi templi jussit ad similitudinem Gorgorani, ut in usum aula rusticantis esset. Metato apte loco, dum movetur jaciendis fundamentis humus, monuit Imperatorem Pæzium, qua rituum celebritate poni apud catholicos soleret primus sacrorum ædificiorum lapis. Quod princeps valde comprobans, adesse ad præfinitum diem jussit e cœnobiis circumpositis agmen monachorum, qui totum psalterium canendo decurrerent. Affuit eo die etiam ipse, & ad imum fundamenti delapsus, tres delectos in obsequium divinæ Triadis lapides, quos prius Sacerdos aqua lustrali, & solempni prece sacraverat, suis aptavit locis, sacro circum concentu personante. Auxit deinde operarum numerum, & instare operi celeritate quam possent maxima jussit. Quibus imperata facientibus, intra sex menses ad culmen educa est novi ædificii moles, exigua illa quidem, sed tamen elegans, & ad omnes architecturæ leges exacta. Surgebant in orbem e candido marmore columnæ duodecim striatæ, suis singulæ basibus impositæ. Supra columnas eminebant capitula totidem, cum epistylis affabre sculptis. Desuper zophorus, & projectura coronidis excurrebat. Templum claudebat superne camera fornicibus juncta. Nec ædis facies relicta fuerat inornata. Per eam apte disposita visabantur vasa ex lapide, quorum intervalla distinguebant anaglypha plura, nec inveniusta. In fronte media prostabat marmorea ingens tabula, sacrosancto Jesu nomine inscripta in titulum ædificii, quod vulgo *Hortus Jesu* nuncupari coepit. Deinde residentia Societatis apud eandem ædem fuit instituta.

146.
Descriptio novi
templi.

147.
Schismaticorum
transiciones ad
catholicos.

Sed utcunque lata hæc essent, nihil fuerunt ad latissimos fructus, quos victoria de Damotis protulit inter schismaticos. Multi haud temere existimantes, *Cela-Christum*, tot in expeditionibus bellicis tam secunda utentem fortuna,

pe-

peculiari quodam Numinis præsidio tegi, nihilque ambigentes esse causa meliorem, qui tam sæpe viribus prævaleret, Catholicis aggregari petierunt adeo confertim, ut nostrorum duo, qui in regno Gojamenli rem sacram administrabant, impares omnino essent accedentium multitudini excipiendæ. Goam scribebat hoc tempore P. Ludovicus Azevedus, uno post nuncios victoriæ quatri-duo, atque intra solos agri Colelani fines, mille ducentis capitibus auctum esse numerum orthodoxorum. Aliis ejusdem temporis litteris testabatur P. Antonius Fernandez, Franciscum Antonium de Angelis, qui cum exercitu victore provinciam obibat, præter plurima laicorum millia Ecclesiæ reconciliata, plerisque regni monasteriis fuisse auctorem, ut fidem Alexandrinam Romana commutarent. Addebat, cum Prorex in quadam villa confedisset, triduo uno in vicinia ejusdem villæ popularium mille octingentos ad catholica signa transfugisse. Præterea audiri jam in Æthiopia, qui libera voce sanctissimum appellarent Romanum Pontificem, invisum antea nomen: Dioscorum contra, tanquam aeterno damnatum anathemate, diris omnibus execrarentur. At enim in hac rerum latissima conversione nihil evenit commodius, quam quod detecta est, Deo propitio, vetus hæreticorum & gravissima labes, quæ hæctenus delituerat. Plurimi reperti sunt Parochi, qui, sive dolo, sive imperitia, legitimum baptismi formulam ita vitaverant, ut inepta profus ad vim mysterii esset. Id Patres cum vulgassent, trepidatum ubique est ut in re gravitatis supremæ: nec dilatum malo remedium. Quorum baptismus certo compertus est irritus, ii rite initiati fuerunt, nulla adhibita conditione: quorum dubius, vel merito suspectus, conditione adjecta. Baptizandi vero ritus exinde ad primam, atque unicam institutionis suæ formam revocatus. Quod dum reputo, non temere judicare mihi videor, etiam si nihil aliud ad Æthiopiæ salutem nostri contulissent, hæc una re satis magnum operæ pretium apud eam gentem fuisse factum, quod restituta fuerit baptismi vera ratio, per eamque apertus denuo tot infantibus ad æternam salutem aditus, qui antea erat oclusus. Illud certe cognitum est, schismaticos quod in hoc genere peccaverant emendavisse non invitos: proindeque credibile, ad errorem adeo exitialem non esse ultra relapsos. Quod si verum est, etiam si exulet nunc Æthiopia Societas, manet ibi tamen etiam nunc Societatis meritum insigne, pro quo non frustra suscepti tot illi nostrorum labores videri debeant.

Interim in Japonia nihilo meliore res erant loco, ac anno præterito dicebamus. Gubernator Nangasachiensis, dum pergit qua cœperat acerbitate ministris divinæ fidei plus quam hostiliter insectari, duos ex ordine Franciscano Sacerdotes, frustra in agresti tugurio delitescentes, ac Dominicanos totidem comprehendit. Suos habebant singuli catechistas, quos pariter immitis prætor capi jussit: his autem per varios urbis carceres distributis, religiosos detrusit in carcerem Omuranum. Vincitis accessit eodem anno ex nostris P. Sebastianus Kimura. Sed quo is pacto fuerit interceptus, operæ pretium est cognoscere. Kimura, cum esset gente Japon, nullamque in vultu aut sermone qua teneretur ansam daret, oculos exploratorum eluserat diu. Addiderat naturæ solertiam, solitus instar illius poetici Vertumni omnes induere formas, idem semper aliisque: hodie mercator, cras agricola, perendie opifex, mox nauta, servus alias, alias dominus. Nihil timendum videbatur, nisi proditor: quem extitutum aliquando metuens Provincialis, nuperrime Kimuram admonuerat, ut Nangasachio tantisper recederet. Parantem imperata facere detinuit pius hospes Antonius, rogans ut ne gravaretur sequentem diem (is III. Kal. Quintiles erat Apostolorum Principi sacer) celebrare domi suæ, priusquam abiret: esse sibi filium Petrum nomine, qui magnopere vellet divinum eo die panem sumere. Audivit colloquium istud puella christiana, olim Antonii serva, donata postmodum libertate, ac filix ritu domi habita: quibus vinculis sic obligata hero videbatur, ut proditoris vel levissima suspicio in eam non caderet. Sed quodnam est vinculum tam sanctum, quod avaritia non perumpat?

To. I.

Sf

Vi.

148.
Baptismi ritus revocatur ad formam institutionis suæ.

149.
Quantum hac una re profuerit Æthiopiæ Societas.

150.
RES JAPONIÆ.
Religiosi quatuor in vincula conjiciuntur Nangasachii.

151.
P. Sebastianus Kimura sæpe manus perquirentium eludit.

152.
Capitur demum
cum suo hospite.

153.
Kimura se
comitem addit
Thomas Acafo-
xius.

154.
De quatuor no-
vitiis Societatis.

155.
Quam pie
viverent prius
quam inter no-
stros reciperen-
tur.

156.
In vincula con-
jiciuntur Nan-
gafachii.

Vilem animum incessit spes ingentis, & cupido lucri. Evadit sub noctem ad Gubernatoris ades. Festinantem per tenebras conspicatus e Christi grege nescio quis, prodicionem extimuit, & clam significandum Kimuræ curavit, ut caveret. Neglexit indicium Sacerdos, multa ejus generis falsa expertus. Non inanem tamen fuisse metum dies sequens, mensis Junii postremus, aperuit. Prima luce irrumpunt Conrocui satellites, & eum recta locum petunt, ubi latere Kimura consueverat. Nixum genibus deprehendunt, & operam dantem, meditationi matutinæ, cujus spatium metiebatur appositum in mensula horologium ex arena. Ejusmodi nimirum clepsydram secum ubique circumferebat Sacerdos pius, ne vel minimam pretiosi temporis particulam, quidquid instaret negotii, deperderet. Quærent, num ille sit Sebastianus Kimura, quem quæsitum venerant? Fatenti vincula injiciunt, & ovantes opima præda tollunt clamorem, quo tota vicinia personuit. Iisdem vinculis constringunt ejus hospitem Antonium. Iisdem vincire parabant Christianum juvenem, quem Kimuræ putarunt esse catechistam, sive, ut ipsi loquebantur, dogicum. Et juvenis quidem moriendi pro Christo avidus, & lætus oblata sorte, vincendas ultro offerebat manus. Sed illi palmam præripuit, sibi que arrogavit Thomas Acafoxius, nobilis e Fingenfi regno Japon, qui satellitibus obviam factus: Stante, inquit, & huic juveni vincula demite: Debentur illa mihi, qui tot annos operam Patribus navavi, non isti, ad quem ea causa nihil pertinet. Valuit apud lictores oratio. Dimittitur juvenis. Rapitur ejus loco Acafoxius ad Conrocuum cum Patre Sebastiano Kimura. Mox ambo in carcerem Omuranum pariter amandantur. Hospites, & proximarum ædium domini, in custodiam publicam contruduntur Nangafachii.

Per idem tempus in tetrum illud religiosorum ergastulum conjecti fuerunt quatuor Societatis candidati, Consalvus Fufai, Antonius Chiuni, Petrus Sampò, & Michael Xumpo, præclari juvenes, & prius etiam quam cooptarentur in Societatem, ob vitam sanctissime actam magnopere commendati. Jam pridem ex diversis Japoniæ regionibus adjunxerant se nostris Patribus Nangafachii, ut ministerio dogicorum fungerentur. Religiosis tota Japonia exulare jussis, cum iisdem navigaverant Macaum, ibique in seminario dogicorum recepti fuerant. At cum Macai Societas, ob rei familiaris angustias, tantæ juvenum multitudini alendæ non esset (censebantur enim capita amplius quadraginta), eos paulo post P. Valentinus Carvallius cum parte seminarii maxima in Japoniam remisit. Id quod ille recte ne, an perperam fecerit, non desinio: satis cæteroqui gnarus, hoc ejus consilium plerisque Patrum fuisse improbatum. Nangafachium reversi juvenes, montem ubi proximum, & densa consitum silva delegerant, ubi simul in communionem summa omnium rerum viverent, seque interim ad omnem pietatem exercerent: extracta autem angusti ambitus casa, & in cellulas distributa, rationem agendæ vitæ instituerant ei quam simillimam, quam apud nos viderant in domo probationis. Nulla erat temporis pars, quam non utiliter occuparent. Plures quotidie horas vel orando, vel pios libros lætitando conterebant. Quod his rebus supererat temporis, partim domesticis ministeriis, partim officiis misericordiæ tribuebatur. Præerat in orbem singuli per mensem integrum, nihilque injussu præsidis quisquam inceptabat. Pium contubernium adibat frequenter unus nostrorum, ut confitentes audiret, & sacrorum communionem reficeret. Irrepebant ipsi interdum in urbem clanculum, catechumenos imbuebant fidei veritate, confirmabant in eadem neophytos, nullam denique præmittabant occasionem alendæ augendæque pietatis. Victum petebant ex hortulo, quem ipsimet colebant. In hac solitudine pii juvenes cum delituisent aliquandiu, detecti demum captique fuerunt. Nam cum exploratorum plena essent omnia, quidam Religiosos per inculta quoque atque invia nemorum venantes, ad illorum habitaculum penetrare; suspicatique ex forma domicilii religiosos esse, vincetos tradidere Conrocuo, qui simul omnes in vinculis custodiri jussit, donec a christianorum re-

religione deficerent. Duos circiter annos haerant jam in squalenti carcere. Cum nihil de constantia remississent hoc tempore, pergerentque imo ex ipsis vinculis tradere confluenti populo legem Christi, eos demum Prator perducere ad se jubet, seorsum tamen, unumque post alium, ne se aspectu mutuo confirmarent. Callidum sane consilium, sed tamen irritum. Ut unus erat omnium spiritus, ita omnino similia omnium responsa ad singula quaestionis capita fuerunt. Interrogati, essent ne fratres Societatis Jesu? indignos se fuisse dixerunt, qui in eam adscriberentur. Urgente pratore, cur contra iterata regis edicta christianam docerent legem? ideo se facere responderunt, quod eam scirent unicum esse salutis consequendam viam. Atqui, excepit ille, Japones oportet suo regi obtemperare. Negarunt id ita esse, cum a mortali rege praecipiantur contraria regi summo Deo, & animarum saluti noxia. Quo loco Petrus Sampō, coelesti quodam ardore succensus: An non, inquit, tibi videor pie & laudabiliter facere, qui populares meos ea doctrina susceperim imbuendos, qua mortem evadant sempiternam? Equidem si in hac re cessarem, si istud coeleste donum non etiam per qualiacunque vitæ discrimina cum mea gente communicarem, ipse me savitiæ, & inhumanitatis arguerem. Et satis scio, eandem esse causam, quæ huc tam peregre adduxit Patres Societatis Jesu, eosque inter tam multa diræ mortis pericula errare cogit. Unum est eorum propositum, salus Japonum: qui si medicinam respuunt ægroti cum sint, furunt profecto miseri, eoque remedium exhibendum est vel invitis. Hæc, quemadmodum tunc ex ore dicentis excepta fuerunt, nostris annalibus inferenda censui, ut videas, egregio juveni datum in illa hora fuisse quid loqueretur. Peracta causa, omnes Gubernator transfinit ad carcerem Omuranum, suo maestandos tempore cum aliis vinctis. Huc delati juvenes, ad Præpositum Provinciale Societatis Matthæum de Couros dederunt litteras, summis rogantes precibus, ut aliquando tandem in Societatem, id quod sæpe antea rogaverant, admitterentur. Petitioni libenter annuit Courus. Etsi enim alienus esset a recipiendis Japonibus, præsertim in fratrum adiutorum gradu, istorum tamen diu cognita, & tam duris experimentis probata virtus omnem dubitationem eximebat. Receptis iussit carcerem pro domo probationis esse, & tirocinii magistrum dedit P. Carolum Spinulam: a quo cum induerentur veste Societatis, hanc dupliciter sibi esse matrem professi sunt, & quod ipsos antea genuisset in Christo Jesu, & quod modo suis filiis accenseret. Sic omnino sex de Societate in Omurano carcere confiterunt, Pater Carolus Spinula, Pater Sebastianus Kimura, & isti quatuor novitii: quibus paulo post aggregati fuerunt alii tres, Thomas Acafoxius, Joannes Chungoquus, & Ludovicus Cavara. Aderant pariter novem Dominicani, & Franciscani quinque: omnes digni suo nomine, & ea quam adepti sunt corona.

Dum his differtur, & longa exercitatione patientiæ duplicatur beatæ necis gloria, brevior illam via, & uno securis ictu consecuti sunt alii plures. Duo Nangasachii fuerunt Joannes, alter cognomento Chum, alter Ito. In crimen vocati, quod ædes habuissent adibus religiosorum conjunctas, licet longe abessent Nangasachio quo tempore capti sunt religiosi, nihilominus tantam eorum occultatores, & violatæ legis comperti, iussi fuerant domum quisque suam habere pro carcere. Tentati postmodum a prætore ut Christo nuncium remitterent, cum oblatam impunitatem sæpius constantissime respuissent, hoc demum anno, postquam comprehensi fuerant quarto, adesse jubentur coram Conrocuo, & nihil minus in sententia persistentes capite obruncantur. Eos pridie Sacerdos Societatis nulli observatus audierat pro confessione, expiatisque ad proximum certamen accenderat: in quo tantam præ se tulere magnitudinem animi, ut plerisque eorum mors mortis desiderium magis injecerit, quam terrorem. Sane post illorum supplicium novam alacritatem, & fortitudinem inter christianos observare licuit. Eorum nonnullis imperaverat Gubernator, ut ad parandum religiosorum hospiti rogam ligna conferrent. Omnium

To. I.

Sf 2

una

157.
Christianam fidem libere profitentur coram iudice.

158.
Intra carcerem Omuranum recipiuntur in Societatem.

159.
Duo religiosorum occultatores capite pleantur.

160.
Eorum supplicio fortiores fi-

sunt reliqui
christiani.

una vox fuit, se morituros citius, quam tale quid facerent. Similiter qui christiani erant in cohorte pratoria, iussi manus injicere quibusdam dogicis, maluerunt stipendium unde vivebant amittere, & in exilium pelli, quam parere. Ibidem faber lignarius (Paulo nomen erat), cum fanum idolis extrueretur, rogatus nescio quam artis suæ operam locare ædificantibus, diserte negaverat se facturum: nec enim fas esse, in sede diaboli ornanda christiani manum occupari. Ob eam rem Conrocuus ardens ira, vinciri hominem iussit ad arborem e regione surgentis ædificii, vetuitque ne quis eum solveret, nisi prius promitteret imperata facturum: nec tamen ille ut promitteret adduci unquam potuit. Perstitit in ea molestia octo continenter dies, præter incommoditatem situs, & coeli intemperiem, genus omne contumeliarum ab ethnicis perferens. Demum interventu nobilis Lusitani cum solveretur, ministros percundabatur anxie, cur sibi demerent vincula, qui de priori proposito nihil admodum decessisset? Atque hic erat rei christianæ status in urbe Nangasachio.

161.
In regno Omurenfi
necantur christiani duo.

Apud Omurense initio anni respirare paululum visa religio per mortem reguli, de qua superiore libro dicebamus. Verum haud multo post deterius habere coepit. Nam Xogonus Imperator, translata ditionis hereditate ad filium reguli nothum, trium circiter annorum puerum; tutorem huic, & rerum administratorem dedit Fyjoyemonem nescio quem, hominem truculentum, & christianæ legis desertorem impium. Is autem, ut regis sibi gratiam conciliaret, confirmaretque instabiles adhuc pupilli res, in eam curam totus incubuit, ut Christi religionem Omuræ finibus extirparet. Principio christianos peremit duos, Franciscum Fampejum, & Ludovicum Fansuquium, viros præcipuæ inter suos nobilitatis. Prior adactus obedientiæ sacramentum pupillo dicere, aliter se facturum negabat, quam christiano ritu. Hoc hominis totum crimen, hæc causa supplicii. Vocatur a Fyjoyemone, & in ipso arcis limine securi percussus. Alterum barbarus sollicitabat, ut indicaret de nostro quodam Sacerdote, quem apud ipsum fuisse diversatum cognoverat. Cum nihil neque suasionibus, neque duro cruciatu eliciisset, ei denique cervices fregit. Post hæc homo impotens viros & mulieres diversi generis decem capite truncavit, omnia prius expertus frustra, ut vocem saltem aliquam ab iis exprimeret animi in fide vacillantis indicem. Non exequor singulorum acta cæteroqui præclara, ne sim infinitus. Tantum dico, nihil adeo excelsum & admirandum de antiquioribus Ecclesiæ martyribus prædicari, cujus hi exempla non dederint.

162.
Et deinde alii
decem.

Omuræ finitima est septentrionem versus regio Isafai, atque hæc etiam christiano cruore tincta est. Leo Rifyoje, vir eximie pietatis, veteri amico suo persuadere nitebatur, ut poenitentia deleteret impiæ desertionis flagitium, quod jamdiu metu victus admiserat. Contumacem adeo non flexit, ut beneficio irritaverit potius. Benevola, at assiduæ admonitionis molestiam non ferens improbus, pium monitorem multis apud Gubernatorem criminibus accusat, atque illo maxime, quod vetitam ab Imperatore legem Christi sequeretur. Alia crimina neglexit Gubernator. Postremum de christiana legis professione negligendum non duxit, ne apud Imperatorem offenderet, ac reus ipse gravissimi criminis fieret. Ergo cives primarios tres ad Leonem allegat, qui rei veritatem expendant, ostendant periculum, præmia defectionis proponant. Præmia non secus ac poenas Leo contempsit. Victoria spem Gubernator non abiecit. Leonis uxorem & liberos ejecit procul. Ipsum domo includit, addita militum custodia. Mox amicum submittit uxoris nomine. Rogare virum illa fingebatur, ut expenderet paulisper secum, quantum adiret ipse discrimen, quantam toti familiæ perniciem conscisceret. Serviendum nonnihil tempori, dissimulandum, & parendum necessitati. Factum id a multis prudentibus, & probis. Deum mentis arbitrum ac testem esse, quæ si recta sit, cætera nullius, aut exigui momenti esse. Respondit Leo, dolere se vicem uxoris ac liberorum: æternam tamen esse alterius vitæ bonam, contra hujus mala brevi temporis spatio definitam: æquum proinde non videri, ut horum metu illa perderentur. Delusus in hunc

163.
Christiani cu-
jusdam marty-
riam in regione
Isafai.

hunc modum irrito stratagemate Gubernator, fortem neophytum educi noctu per posticum iussit, & in vicinam insulam deportari, ubi securi fuit percussus. Ortus erat loco nobili in regno Figenfi, amplisque olim vestigialibus fruebatur. Hæc æternæ salutis studio sponte dimiserat Nangafachii, profectusque Isafajum, ibi Deo tantum vacabat ac sibi: cæteris vero christianis virtutum omnium exemplo prælucebat.

Eodem anno Fucata, quæ civitas est regni Chicungienfis, in vincula coniectos invenio christianos decem, quorum aliquos brevi fames enecavit. Reliquos idem manebat exitus, sed de iis posteriores litteræ tacuerunt. In regno Arimensi, connivente regulo Arimandono, quartum jam annum religio quiescebat. Turbata momento est ferali ejusdem edicto, quo non solum Patribus, eorumque receptatoribus, sed pagis etiam, urbibusque integris, sicubi ullus religiosorum esset inventus, exitium denunciabatur. Multorum fuit opinio, non hæc ex animo, non serio edixisse regulum, sed specie tantum; ut Xoguno faceret fucum scilicet, ab eoque gratiam iniret. Par certe minarum atrocitati non fuit acerbitas exequendi, perrexerantque Christiani noctu suos coetus celebrare haud minus tuto, quam cum per leges licebat. Idem creditum est aliquandiu de Voxuensi tetrarcha Masamune: nam paulo post ea, quæ libro superiore retulimus, omnem a christianis crudelitatem abstinerat. Verum ejusmodi opinionem dispulit repente factum immane, quo se nimis vere barbarus christiano nomini insensum probavit. Par erat conjugum, christiani ambo spectatæ probitatis. Hos Masamones conatus frustra ad avitam superstitionem retrahere, ubi sensit molliter agendo expugnari non posse, nudos revinctis ad arborem pedibus pendere iussit in summi hieme, donec a fide Christi deficerent, ac ne quid interea cibi illis præberetur vetuit. Ad augendum dolorem, in conspectu utriusque filiolum, quem habebant vix triennem, statuit. In tam diro corporis animique cruciatu persistere pii conjuges diem continenter & noctem, enecti prope frigore, & impasti: quodque visum naturæ viribus majus, toto illo tempore puer, defixis oculis in vultu matris, nec gemitum, nec lacrymam fudit. Vir demum, ut erat obesi corporis, in terram deciderat, fune abrupte. Illum & cadentem, & graviter ex lapsu faucium, facie item ob collectam vim sanguinis foedum in modum livida, & inflata, videt barbarus, irritusque. Tolli hominem, & ad arborem alligari denuo jubet. Tum utrique denunciatur, si quid a quoquam oblatum gustaverint, id sibi mutata religionis indicio fore, perinde ac si aperte sacramentum christianæ professionis abjicerent. Iniquam conditionem accepit simplex, at pia mulier. Non commitemus sane, inquit, ut nos defectionis coarguere quocunque possis indicio. Certum est nihil vel sponte ingestum attingere. Idem diserte cum affirmaret vir, perituri ambo erant inedia, nisi eos doctior quispiam christianorum monuisset, stultam esse hominis denunciationem, ac nihili faciendam: neque enim ex illius arbitrio vim ullam sceleris habiturum usum cibi, quem Deus ad vitam conservandam hominibus præscripsisset. Sensit Masamones veritatem doctrinæ, hominum singularem incredibilemque constantiam miratus est: ac probe intelligens, citius illis vitam eripi quam fidem posse, non solum ab incepto destitit, verum etiam visus ex eo tempore erga christianos iterum mansuesieri.

Hinc Patri Hieronymo de Angelis, qui tam sævo tempore ab ipsa reguli sede nunquam abcesserat, data facultas erigendi plurimos, quos metus afflixerat, & ingentem præterea ethnicorum numerum baptizandi. Namque, ut hoc obiter notem, quantumvis ingravesceret persecutio contra christianos, & difficillima essent tempora, nunquam apud Japones defuere qui baptismum susciperent, donec fuere qui traderent. Hoc quidem anno, quo ad escindendam Christi religionem sævitum est atrocissime, duo circiter adultorum millia initiati sunt manu nostrorum. Nec vero dubitandum, quin aliorum quoque ordinum religiosi, quamvis universi nostris multo pauciores, aliquam multitudinem

164.
Christianorum molestiæ in regnis Chicungienfi, & Arimensi.

165.
Immane tormentum duorum conjugum in regno Voxuano.

166.
Fructus hoc anno collecti in Japonia.

167.
Nostrorum
quinque clam-
in Japoniam ad-
vecti.

168.
Exitialis liber
a nostris refelli-
tur.

169.
A C T A
IN COCINCINA.
Perdium no-
stri parum pro-
ficiunt Nuoc-
mani.

170.
Quam turpiter
errent Cocinci-
nenses in astro-
nomia.

dinem neophytorum collegerint. Illud erat incommodi, quod pauci jam in Japoniam adventabant divini verbi præcones. Atrocitas quippe suppliciorum, quæ naviculariis & portitoribus erat proposita, plerosque absterrebat, ne viris religiosiis naves locarent. Tamen, ut ingeniosa est charitas, omnem obicem superarunt feliciter Patres Societatis quinque, Emmanuel Borges, Camillus Constantius, Antonius de Sosa, Michael Carvallius, & Thomas Tzugi, hoc ipso anno advecti in Japoniam, & fociis ferme triginta, qui ibi *pondus diei & æstus portabant*, additi. Quibus porro artibus viri præclari tot inter excubias, & vitæ pericula penetraverint in eas oras, non alienum puto erit cognoscere. Emmanuel Borges, sumpto mercatoris habitu, in Cocincinam usque profectus est: inde cum negotiatoribus ultro citroque comitantibus in Japoniam navigavit. Constantius, & Sosa, Macai cum essent, sciuntque naucularum propediem vela facturum in Japoniam, illum silentio noctis adiere operi sagulo militari, sibi que instare periculum affirmantes (si quid id est simulationis, ego non approbo, sed quod factum est refero) ut profugos reciperet, occultaretque in carinæ latibulo impetraverunt. Alii duo, Michael Carvallius, & Thomas Tzugi, prius Macao transmissere Manilam. Hinc ille militem, hic navigii gubernatorem habitu præferens, concessa oneraria Sinica, ad eandem Japoniæ oras appulere, ubi nulli suspectos nemo egredi in terram vetuit. Sed aucto in hunc modum numero sociorum, novum repente genus persecutionis prorupit. Conductus a Conrocuo sceleratus apostata, qui amore mulieris impuro subversus defecerat a fide, libellum scripserat pestilentissimum, cujus hæc ferme summa: Christianorum vitam simulationis ac doli plenam esse: eorum institutiones legesque, perinde ac Japonicas, mera esse bonziorum commenta, meras fabulas: Sacerdotes denique Europaos id unum religionis obtentu agere, unum spectare, ut Japoniam aliquando tandem Hispanorum regi subjicerent. Sic domitas ab Hispanis fuisse in oriente & occidente regiones plurimas: sic nuper Philippinas insulas, quæ in oculis Japoniæ posita essent, in potestatem Hispanorum cessisse. Nihil sane poterat odiosius fingi apud eam gentem, quæ ita est instituta, ut externi imperii vel nomen ipsum exhorrescat. Statim ergo ac liber in locum est editus, vulgatusque, P. Matthæus de Couros Episcopi vices in Japonia gerens, ut malo præsentii occurreret, christianis edixit, nemini eorum licere nefarium opus evolvere, aut habere apud se. Præterea, tametsi erant in omnium manibus nostrorum opuscula, quibus vetus illa calumnia funditus dissolabatur, tamen virulento & fallaci scripto nova opposita sunt Patrum responsa, quæ illi fidem utcunque detraxerunt, & nutantes paululum firmaverunt.

Ad hunc modum jaçtabatur in Japonia religio, cum secundis vehi flatibus cœpit in Cocincina. Vocatos a Governatore Pulicambensi Patres Societatis, & Nuocmani in urbe provinciæ principe collocatos alibi vidimus. Mortuo, uti tunc dicebamus, benevolo Governatore, per aliquot annos ita commorati sunt Nuocmani PP. Buzomius & Borrus, ut fructum assidui laboris caperent nullum, aut perexiguum. Gnari nihilominus, Evangelii sementem ex minimis sæpe initiis in uberrimam frugem excrecere, tolerabant indigenarum incredibilem pervicaciam, nec desperantes ullo modo de ipsorum salute, nec opus auctore Deo susceptum intermittentes. Fiduciam non sefellit exitus. Primum rei bene gerendæ aditum aperuit hoc anno peritia astronomiæ, cujus nobilissimæ facultatis usum præcipuum habent Cocincinenses in prædicendis lunæ solisque defectionibus. Rex, ubicunque sedem fixerit, secum habere solet delectos ejus scientiæ professores, alitque amplis vestigalibus, quæ etiam auget minuitque, prout astrorum labores vere aut falso prænuñciaverint. Hos porro prænoscere multum interesse putant. Vulgo enim existimant, duo illa sydera, cum obscurantur, in fauces draconis nescio cujus incidere, devoranda scilicet, nisi infesta bellua clamoribus, & fragore horribili propulsetur. Ridiculæ opinioni locum dederunt libri astrologorum, qui puncta duo eclipticæ, cum

cum

eam luna soli occurrens fecat, appellant caput, & caudam draconis. Futuram itaque eclipsim professores Regi, toti regno Rex edicto significat ante mensuram: eaque imminente, prodeunt in apricum præfecti provinciarum, urbium gubernatores, magistratus, ac proceres, cum infinita populi multitudine. Ipse Rex pullo amictu tectus, cum centurionibus, vexillis, & agminibus haud secus instructis, quam si hostis instaret, in planitiem apertam procedit. Atque ubi primum incipit, aut luna telluris umbra intercipi, aut lunæ tellus, conversi omnes ad speciem deficientis astris, varios ac plane ridiculos edunt motus, nunc ritu venerantium, nunc dolentium, ac pene se desperantium. Tum ad immanem belluam terrefaciendam, fragorem quam possunt maximum cient, milites quidem armis, populus vero pelvibus, lebetibus, aliisque crepitaculis concutiendis. Ut demum, sublato opaci corporis interjectu, aut luna, aut tellus fugacem umbram evasit, & sole iterum fruitur; tunc abactum putantes ferum, componunt sese, & incolumitatem benefici syderis lætitia publica gratulantur.

Jam vero nullam mathematici Regis eclipsim prænunderant anno superiore: id quod illis, quippe veram astronomiæ rationem ignorantibus, haud raro contingit. Contra P. Borrus prædixerat Nuocmani, obscurandam esse lunam v. Idus Decembres, hora ante dimidium noctis una; idque indicaverat Mandarinus cujusdam filio, quo in mathematicis discipulo utebatur. Audivit ex filio Mandarinus, explositque Europæi magistri conjecturam hoc argumento, quod aulici astrologi nullam ejus rei mentionem fecissent, quod eandem Rex pro more non denunciasset. Nam quis crederet, advenam in re tanti momenti plus videre potuisse, quam mathematicos nota Cocincina celebratissimos? Cum nihilominus Borrus, quippe certas secutus regulas, rem ita ut prædixerat futuram contenderet, conveniunt ambo, & sponsonem faciunt. Loco pignoris ethnicus holosericum poni jubebat pallium, quod victor a victo reportaret. Pactum accepit Borrus. Imo, adjecit, si vicero, a te aliud exigam nihil, nisi ut me de christiana lege differentem audias per dies octo. Conditionem non invitus admisit adversarius: quin etiam se christianum fore promisit, si vera Borrus affirmaret; nec vero dubitaturum, quin sapientissimos Onfajorum divinarum rerum intelligentia vinceret, qui regis mathematicos astrorum scientia vicerit. Ad præstitutam diem Mandarinus, intentis jam tenebris, domum nostram se confert, lauto litteratorum & procerum comitatu stipatus. Serena nox, cælum innube, magna observandi syderis facultatem dabant. Dum illi oculos, & conspicilla tubulata expediunt, Borrus in aulam interiorum se recipit, ut precum sacerdotale pensum absolveret: nam una duntaxat ante mediam noctem hora lunam obscuratum iri sciebat. Defessi vigilando & expectando, mustabant inter se ethnici, Borrus suspicantes male subductis rationibus diffidere, & forte latebras aut fugam captare. Eundem identidem inclamabant. Ille arenariam clepsydram testem temporis indicemque monstrans, nondum advenisse tempus placide respondebat. Ubi totus ille pulvis ex superiore receptaculo in imum defluxisset, tunc defectionis initium fore. Ridere ad hæc hospites, multa sæpe joculari, subinde querere, numquid cerneret? Hora demum constituta, imo ad præfinitum temporis punctum, prodit Borrus e vicino conclavi lætus. Jamque splendidum lunæ orbem caligo involvere cœperat, quæ sensim gliscens, alias ex aliis partes invadebat. Tunc enimvero alia hominum mens, alia consilia. Continuo Mandarinus lictores atque apparitores suos dimittit in omnem late civitatem, ut populo eclipsim denuncient. Erumpit dissonus vocum, armorum, ac diversis æris fragor. Quod vero ad rem magis attinet, non modo Mandarinus sponsonis auctor promissi fidem servavit, sed quotquot præterea aderant in comitatu adoraverunt cœli dominum, quem christiani colerent, eorumque exemplo litterati complures, & principes civitatis solemne sacramentum Christo dixerunt.

Has

171.

Contentio orta
circa futuram
lunæ eclipsim.

172.

Contingit ecli-
psis ut prædixe-
rat P. Borrus.

173.

Ob eam rem
Mandarinus fit
christianus cum
aliis plurimis.

174.
Nobilis femina
pious ardor in-
petendo baptif-
mo.

175.
Ejus ancilla re-
pelluntur a ba-
ptifmo quia
concupifcunt.

176.
Cautione præ-
fita baptizan-
tur cum fuis he-
ra.

177.
Matronæ
exemplo trahi-
tur Mandarinus
ejus vir.

178.
Hæret postmo-
dum in lege de
nuptiis.

Has Pulicambensium primitias læta deinde messis est subsecuta. Memorabilis præcipue femina inter matronas Nuocmanenses genere, & opibus florentissima. Affuit ex improvifo ad domicilium Societatis elephanto vecta, cum magno puellarum licitorumque comitatu. Excepta a Patribus, ut talem decebat feminam, cum honore, & in facellum admiffa, aperit quid fui confilii fit: non alia causa se veniffe, quam ut christiana confestim fiat: nota sibi esse christianorum instituta, notas vivendi leges, ac scire se, quæcunque de futuro sæculo christiani crederent, vera esse. Attoniti Patres collaudare vehementer confilium ejus: sed tamen rem tantam tam celeriter confici haud quaquam posse dicere. Rogare illa contra, & obtestari, ne se differrent. Afuturum propediem ex aula virum suum, qui esset legatus regis in Cambogiam designatus: cum eo abeundum sibi esse pariter: professionem differri non posse. Quis vero nescit, ajebat, navigationis periculofæ discrimina? Quis procellas, ac naufragia præstabit? Perire possum in ipso itinere: facite quæso, ne æternum peccam. Victi tanto pietatis ardore Patres, erudire illam cœperunt tam assidue, ut paucis diebus omnem christianæ doctrinæ virtutisque rationem complexa sit. Aderant, dum erudiebatur, famuli plures cum ancillarum grege. Accidit ut Buzomius oratione vehementi ac vivida explicaret quæ parata sunt apud inferos impiis supplicia, carcerem flammis undantem, tetra demoniorum ora, fœtorem intolerandum, aliosque hujus generis cruciatus. Perculfæ terribili narratione fucclamaverunt ancillæ, & baptismum multo cum fletu postulaverunt. Negavit eas Buzomius posse abluï, quæ præter christiani matrimonii leges in pellicatu viverent, & Legati concubinæ essent. Ita quippe fert consuetudo gentis, ut ad usum multiplicandæ prolis ancillæ admittantur in thori partem, hera non solum non improbante, verum etiam jubente. His feminæ auditis, tristes, abjectæ, perfusæ lacrymis, detestari conditionem vitæ miserimam, quæ ipsas æternis objiceret suppliciis, palamque denunciare, nihil rei deinceps sibi cum Legato futurum. Quas ut vere locutas ipsarum hera sensit, bono esse animo jussit: sibi curæ fore, ut honestis viris collocarentur, & hoc impedimento solutæ in familiam Christi adscriberentur. Cum se talis matrona vadem pro illis, & sequestram offerret, Patres diem omnium baptifmo assignarunt. Eo die venere sacram in ædem mulieres, ornata præter morem, & cultæ. Præibat matrona felicis turbæ mater ac magistra. Comitabatur lecta nobilitas. Populus expectatione & admiratione defixus accurrit. Parata cum essent omnia, solemnibus Ecclesiæ cæremoniis baptifmo consignata sunt capita omnino quinque supra viginti. Matronæ principi Ursulæ nomen inditum.

Ecce autem post paulo adest ab aula maritus Ursulæ, cui mandatam ad Cambogiæ regem legationem dicebamus. Subit domum, omnium quæ gestauerant prorsus ignarus. Miratur spoliata ornamentis conclavia, subversa domesticorum numinum simulacra, extantes alicubi cruceas, alibi Christi ac divinæ matris imagines, passim occurrentes christiani cultus notas. Exhorruit primo aspectu Mandarinus. At mox, auditis quæ Ursula de unius veri ac summi Numinis cultu, de statu futuræ vitæ, aliisque fidei capitibus differebat, visus eadem, sin minus probare, certe non habere contemptui. Ne multa. Patres ad colloquendum evocat, multa percunctatur, objicit ex adverso plurima. Denique post dies perpetuæ concertationis ferme viginti, vera esse profitetur quæcunque ipsi credenda proponerent. Verum ubi de morum disciplina agi coeptum est, & exposita lex nuptiarum, hæsit homo mulierosus ut ad scopulum allifus, pristinusque, quo flagrabat, baptifmi fuscipiendi ardor subito relanguit. Amplius deliberandum respondit, & sermone abrupto Patres dimisit. Illi metuentes, ne mala victus consuetudine oblatam gratiam respueret, persistere nofsem integram precibus, & vario afflictationum genere ejus salutem a Deo postulare. Nec frustra. Revocantur postridie, superioris diei sermo instauratur. Contendente Mandarinò, fas esse prolis fuscipiendæ causa, præter primam

riam unam, plures inferioris ordinis uxores ducere, multa ex adverso proponerent Patres, cur deberet una contentus vivere. Nulla ratio satisfaciebat. Tandem quæsit ex eo Buzomius, an non æquum esset censendum quidquid auctoritate summi ac veri Numinis sancitum esset? Non est ausus negare. Utque jam ante consenserat, Christianorum legem a Deo optimo maximo fuisse traditam, suo se iudicio, sua se teneri confessione sensit. Hinc, sublatis in cœlum oculis manibusque, contentaque voce, ut appareret fatiscere interne animi, omnesque naturæ cupiditates conatu summo contra vim gratiæ cœlestis obniti: *Ibitis*, inquit, *turba concubinarum, nec mihi vos obstabitis posthac, quominus salutem consequar sempiternam*. Eodemque momento temporis accitas ad se pellices supremum valere, & migrare quamprimum iussit. Uxorem deinde intuens: *Facies*, ait, *ut istarum nulla pernoctet domi meæ: ac si quid illis debetur, hodie solvetur*. Ita cum videretur Patribus baptismo idoneus, ad ædem Societatis cum insigni pompa venit, sumptoque inter festos tubarum ac tympanorum strepitus Ignatii nomine, Christo renatus est. Latitiam auxerunt ex ejus familia viri viginti pariter baptizati.

Post hæc Ignatius in suam legationem proficiscens, egregia animi vere christiani documenta præbuit. Primo hariolos diem professionis nefastum denunciantes, & ne mari se committeret obsecrantes, risit. Triremem deinde insignibus christianæ religionis ornavit, vexillum distinxit picta cruce, supparis omnibus Christi nomen inscripsit. Ut appulit ad Cambogiæ portum, mirum est quantam incolis advenisque sermonis materiam dederit. Noscebatur navis prætoria legati Cocincinensis: sed inspecta ex alto crux, quid isthuc monstri esset dubium faciebat. Cum ad littus ingens hominum multitudo confluxisset, re cognita, gratulari mirum in modum Lusitani, qui ibi plures mercaturam exercebant: parem latitiam præ se ferre qui aderant ex Japonibus christiani. Ethnicorum alii obstupescere, alii ad exempli imitationem accendi. Plerique consilium ejus deridiculo habere. Hominem quippe haud ita pridem eadem legatione perfunctum norant, sciebantque esse libidinis effrenatissima: posse autem virum talem, adhuc ætate florentem, intra christianæ temperantiæ modum coerceri, non putabant. Regem adiit denique Ignatius, auream crucem e collo demissam gestans. Rex ad crucis conspectum, quasi sideratus, obtorruit. Nec sibi temperavit, quin hominem hortaretur, ut inane, & superstitiosum (ita loquebatur) ornamentum abjiceret. Cum nihil minus legatus pietatis insignia propalam retineret, pergeretque imo christianam fidem, non solum profiteri libere, verum etiam Cambogienibus tum voce, tum exemplo vitæ castissimæ persuadere, eum Rex, confectis propere negotiis, in Cocincinam remisit. Unde afflatum regi Cambogiæ odium istud christiani nominis, paulo altius repetam. Anno labentis sæculi decimo octavo, Sacerdotes Societatis duos e collegio Malacensi postulaverat, quippe studio veræ religionis accensus. Batavos incessit metus, ne Lusitani hac data occasione commercio Cambogiano potirentur. Conveniunt regem, multa de Lusitanis, plura de Societatis hominibus atrociter & inique disserunt: existimantes in rem suam esse, si regem haberent idolis potius deditum, quam catholicis amicum. Quibus sermonibus circumventus princeps, non modo retinere impietatem pristinam, sed arcere omnino Patres Societatis decrevit. Reipsa advectos in Cambogiam excepit admodum frigide, nec diutius in regno suo morari passus est, quam dum opportunitas daretur exeundi. Ea per ventos adversos facta non est, nisi post sextum mensem. Qua mora Patres ad multorum salutem usi, baptismum ethnicis, alia sacramenta christianis illuc ex Europa commeantibus, quantum per angustiam temporis licuit, impertiti sunt.

Sed ut revertar in Cocincinam, Ignatii inopina transitio ad christianos, ut omnibus admirationi fuit Nuocmani, ita multos incendit ut idem consilii sibi capessendum putarent. Talem nempe Mandarinum, prudentiæ ac doctrinæ magnitudine toto regno celebratissimum, nemo arbitrabatur sine magna ali-

To. I.

T t

qua

179.
Dimittit concubinas, & baptismum suscipit.

180.
Proficiscitur in Cambogiam palam se christianum exhibens.

181.
Excipitur a Rege parum liberaliter, quia christianus.

182.
Unde natum Regis Cambogienis odium erga christianos.

183.
Alii fructus collecti in statione Pulicambensi.

184.
Singularis pic-
tas cujusdam
Onfai ad Chri-
stum traducti.

qua, & iusta causa voluisse paternas religiones mutare cum peregrinis. Hinc ad audiendos Patres, excipiendamque Christi doctrinam crebri concursus. Anno uno, in sola urbe Nuocmano, plus minus ducenti baptismo consignati fuerunt, nobiles plerique, ac litterati. Ex ipsis quin etiam Onfais (sunt illi, uti diximus, sacerdotes gentis) unus erudiri petiit, & ad primam mysteriorum coelestium lucem, quasi praestrixis oculis, obstupuit. Edoctus accurate, ipso Christi natali die novam in Christo vitam cum omni familia auspicatus est. Ita deinde vixit, ut eximiam ejus pietatem nostri admirarentur. Aedes habitabat Patrum ædibus ferme conjunctas. Facilis ad eos aditus copiam illi fecit observandi propius ipsorum mores, & quotidianæ vitæ rationem diligentius inspiciendi. Captus rerum ordine, consuetudine delectatus, rogavit enixe Patres, ut se domi suæ reciperent loco famuli: certum enim sibi fixumque esse, quidquid reliquum vitæ esset, ad Dei cultum transferre. Tam piis votis cum obstaret uxor, suæ quidem se domi continuit, haud secus tamen, quam si in religiosa familia versaretur. Notare coepit tintinnabuli sonitum, quo quaque hora diei Patribus indicabatur quid factum esset opus, & ad ejusdem disciplinæ formam ipse quoque spatia diurni ac nocturni temporis, officiaque composuit. Præterea ad sacra se totum addixit, ejusque ornandæ & componendæ provinciam suscepit, in hunc usum conferens quidquid sibi ac familiæ supererat. Nec satis. Verba facere ad populum e superiore loco, prædicare Christi nomen in circulis, omnes amore virtutis inflammare aggressus, partes Apostoli, ac numeros omnes implebat: utque in omni superstitionum Cocincinensium genere versatus erat diligentissime, earum subruerat fundamenta, inanitatem attonitis popularibus demonstrabat.

185.
Mira Onfajorum
varietas in
Cocincina.

Ceterum in aliis Cocincinæ partibus nullos, aut sane mediocres christiana res habebat successus. Non una mali causa. Primo Onfai, quorum ingens numerus, & magna in vulgus auctoritas, specie virtutis, & frequenti, ut ementiuntur, cum suis numinibus colloquio parta. Est porro Onfajorum varietas vix credibilis. Crederes id fuisse dæmoni propositum, ut pulcherrimam inter christianos religiosorum ordinum dissimilitudinem adumbraret. Alii nigro amictu, alii candido, alii alio utuntur. Sunt qui vitam communiter degunt, sunt qui solitariam, & ab hominum consuetudine remotam. Hi in ferarum spelæa retrudunt sese, unde post aliquot annos emergunt in urbium lucem, torridi macie, nudi, deformes, horridique, & nomen sanctitatis mercantur. Non pauci voluntariam profitentur paupertatem, & mendicato vivunt. Plurimos videre est intentos curandis ægrotis, juvandis egentibus, sublevandis calamitatibus alienis, sanandis etiam equorum, boum, & elephantorum morbis, idque nulla mercede, nullo quæstu. Nonnulli gratuitam pariter navant operam pontibus, ædificiis, delubris, aliisque publicis operibus aut construendis, aut reficiendis. Denique litteras & religionem multi docent, ac refertas discipulis scholas habent: quod munus nobile præ cæteris, ac multarum opum. Tempa jactant ornatissima, & in suis ritibus peragendis nostrates Episcopos, Canonicos, Abbates imitantur, pedo mitraque insignes: ut christianam ibi legem viguisse aliquando, non temere suspicaris. Ab hac igitur sacrificulorum natione, ejusque artibus fraudulentis, obex primus ac fere præcipuus christiænæ religionis progressibus opponeretur. Alter a malis dæmonibus, qui vix credibile quam familiariter admiscerentur indigenis, quibusque modis miseræ genti illuderent. Spectandos se præbebant passim nequissimi tenebriones humana forma: subibant domos, nobilium conventibus conviviisque, tanquam honoratissimi hospites, excipiebantur. Eorum commercium & petulantias femina sibi honori ducebant. Eisdem irritare summe periculosum. Horribilem quippe formam momento induentes, scintillantibus oculis, exstantibus cornibus, falcatis unguibus, alis vesperilionum in morem a tergo prominentibus, avulsos ab ædium penetralibus homines raptabant in summa tecta, indeque præcipientes deturbabant. Accidit ut ingens aliquando clamor coariretur prope aedes Societatis. Populus vociferaba-

186.
Dæmonum fa-
miliaritas cum
indigenis.

rabatur, conspici dæmonem, ab eoque hominem abripi sublimem. Accurrerunt Patres, & intentato crucis signo tartaream belluam exegerunt. Obstabat postremo paucitas operariorum, ne christiana fides latius spargeretur. Tota enim Cocincina focii numerabantur duntaxat septem, quorum tres Faifone degentes in colonia Japonum, indigenis perparum aut nihil proderant. Ex hoc ipso tam exili numero aliqui regionis linguam non satis callebant, aliqui rei domesticæ adjutores erant. Quare totus fere evangelici ministerii labor solis incumbebat Patribus Buzomio, Pinæ, Marquesio, & Borro. Adde quod statio Pulicambensis ante finem hujus anni uno capite est deminuta. Nam, quod utili aliorum documento scribimus, P. Christophorus Borrus, antea inter evangelicos operarios laudatissimus, sed jam alienæ salutis quam suæ studiosior, commisit cur dimovendus ab illa missione, & in Europam revocandus videretur. Reversus autem in Italiam, cum post plurima experimenta nihilo melior fieret, demum jussu Mutii ejectus est extra Societatem. Lacrymabilis admodum memoriæ vir, qui a fervore suo pristino tam turpiter exciderit, & mederi studens alienis malis, malum sibi gravissimum creaverit. Eum ferunt, paulo post depositam tunicam Societatis, dum primos carpit libertatis recuperatæ fructus, subita vi morbi oppressum interiisse.

Post ejusmodi eventum, sane luctuosum ac tristem, jucundum puto erit filiis Societatis audire, quid eodem tempore ex Philippinis ad Præpositum Generalem scriberet P. Valerius Ledesma de uno quodam Manilani collegii focio, cujus tamen nomen & conditionem reticuit. Hunc, ajebat, pietate multum excellere inter domesticos, ac præsertim in piis meditationibus assidue exerceri. Sæpe inter orandum divina pati, sæpe aspectu superum, & colloquio dignari. Novissime vero, dum reputat quam multos ubique gentium labores Societas pro divina gloria exantlaret, eamque Deo supra quam solet impensius commendat, audisse illapsam de cælo vocem in hæc verba: *Fac bono animo sis. Societatem ego meam diligo plurimum. In ea ego ipse sum dux, signiferum vero Ignatium habeo.* Hæc scribebat vir gravissimus Ledesma, dum provinciam Philippinensem administraret: quæ utcunque aliqui æstimaturi sint, mihi credibilia facit narrantis auctoritas. Sed ea modo persequamur, quibus divinam benevolentiam Societas demereri studebat. Notabile in primis quod hoc anno Patres Manilani in honorem Deiparæ præstiterunt. Allatum nuper fuerat Manilam diploma Pauli V. Pontificis, piæ favens sententiæ de conceptu Virginis immaculato. Nostri, ut suum erga Deiparam studium documento publico testarentur, diem continuo indixerunt, quo die adolescentes seminarii alumni solemne jusjurandum conciperent, sponderentque se constanter asserturos divinæ matris immunitatem a communi macula. Celebritate quam potuit maxima peracta res est. Principio, affusa ad pium spectaculum tota ferme civitate, signum Virginis per frequentiora urbis loca circumtulere adolescentes triumphantis in morem, atque ea pompa, cui nihil unquam simile Manilani se vidisse affirmabant. Præter tenas numero plures, ornatu ac pulchritudine admirabiles, spectabatur in medio agmine adolescens equo sublimis, ac splendida collucens veste, qui hastam gerebat manu erectam, appensamque hastæ membranam cum exarata juramenti formula. Ut ventum in ædem sacram, de sacro epulo participarunt pii juvenes, ac deinde ex formula juraverunt, pietatis ardore tanto, ut ægre populus a lacrymis temperaret. Porro religio eadem decretum est, ut quotannis in posterum instauraretur, quod hætenus viget. Verum id exilius forte. Graviora non defuerunt.

Caceresiæ Ecclesiam in Lusonia insula administrandam susceperat Didacus de Guevara, vir e S. Augustini familia inclytus; primaque curarum illi vix inuito pontificatu fuerat, ut Societatem induceret in diocesium suam. Nam tamen magnam ejus partem excolerent gnæviter Patres Franciscani, pauci tamen pro soli amplitudine erant, nec rerum gerendarum magnitudini pares inveniebantur. At poscenti de Societate delectos viros, quibus gregis sui partem

To. I.

T t 2

tem

187.
Operariorum
paucitas in Co-
cincina.

188.
Luctuosus exi-
tus P. Christo-
phori Borri.

189.
RES PHILIPPI-
NARUM.
Cæleste docu-
mentum divini
erga nos patrocini-
ii.

190.
Celebritas Ma-
nilæ acta in ho-
norem Virginis
sine labe conce-
ptæ.

191.
Nostrorum ex-
peditio ad silve-
stres Bondochi
incolas.

192.
Bondocani
in unum conve-
niunt oppidum.

193.
Testimonium
Episcopi de fe-
lici exitu illius
expeditionis.

194.
Res gestæ in
aliis Philippina-
rum partibus.

195.
Obitus & elo-
gium Fr. Fran-
cisci Martini.

tem committeret, negaverant hætenus nostri moderatores: forte ne transilire Societas videretur prænitens ab initio limites, indeque offensiones & querimoniarum orirentur. Id modo anno labente datum optimo Præsuli, ut Societatis Sacerdotes duo cum evangelico ministerio excurrerent ad Bondochi incolas, silvestres ingenio homines, & montibus late dispersos; viderentque si qua pellici arte possent ad conveniendum in unam civitatem, & socialis vitæ formam instituendam. Id enim nisi fieret, futuros illos semper feris quam hominibus similiores: christianos quidem certe nunquam futuros. Profecti in difficilem expeditionem Patres, confederunt ad radices editi montis, sibi que ex rudi materia qualemcunque tecti modum struxerunt. Hinc aggressi blandis sermonibus, & munusculis inescare barbaros, brevi tempore dociles morigerosque habuerunt. Obfirmaverant illi quidem omnia prius pati, quam avitos saltus deserere. Tamen deseruerunt, suasque certatim transferentes prope tugurium Patrum sedes, in unum populum sponte coaluerunt. Exilivit lætitia Episcopus, cum de hoc successu curarum, & votorum suorum accepit. Patres rogavit per literas, a loco ne excederent, impetravitque ut novi oppidi curiam administrandam susciperent. Mox ad P. Joannem de Torres scribens, affirmabat, Bondocanos antea belluis ferocios, non modo in compagem unius oppidi fuisse copulatos, sed mansuetos præterea, eruditos, excultos sic, ut recte jam, & christianis moribus viverent. Quod ab aliis pluribus sæpe tentatum fuisset frustra, id per duos tantum homines Societatis quam brevissimo tempore confectum esse, & omnino feliciter. *Vere, addebat, videre est opus Dei, qui filii Societatis utitur ad res difficillimas perficiendas.* Sic ille pro sua egregia erga nos voluntate. Cæterum illius Curiaë procuracionem nostri post aliquot annos iustis de causis dimiserunt. Præter Bondocanos, plurimi adhuc inveniebantur inter Tagalas populi nullis constricti legibus, & veteri suo more nativis montibus saltibusque errantes. Ad eos perquirendos ex omnibus ferme domiciliis Societatis procursum est, eorumque ingens multitudo in urbes deducta prius, deinde Christo initiata. At inter Bissayas, non tam numerus neophytorum augebatur, quam pietas. Feminarum pudorem modestiamque ipsi mirabantur Hispani. Sacrorum ministros populus honore tanto prosequabatur, ut iis coram vix quisquam hiscere auderet. Patres collegii Zebuani, etsi numero plures, & animo impigri, fatebantur, nequaquam se pares esse excipiendæ omnium ordinum multitudini, quæ per dies festos in eorum ædem ad sacra percipiendam conveniebat. Unum ibi reliquum erat malum, jurandi licentia. Ad eam penitus abolendam inductus hoc anno mos, ut pueri, quocunque in loco quempiam temere jurantem audissent, acciderent ad ejus genua, oscularentur pedes, eumque per divinam charitatem obsecrarent, ne sic sanctissimum Dei nomen violaret. Successu non caruit consuetudo. Reperti statim plures, apud quos piæ innocentium preces plus quam concionatorum fulmina valuerunt.

Inter hos rerum successus, duo vivere desierunt socii ob sanctitatis opinionem illustres. Præcessit frater Franciscus Martinus, senex annorum septuaginta, quorum amplius triginta exegerat in Philippinis. Domesticis ille quidem ministeriis erat addictus, sed interdum etiam mulcendis barbaris, & neophytis erudiendis fuerat adhibitus, nec sine fructu. Affirmabat ipse de se jam senior, toto hoc præterito tempore vix duas, ut multum tres habuisse horas operis omnino vacuas. Peractis enim quæ moderatores injunxerant, siquid supererat otii, solebat de divinis rebus aut legere, aut commentari, quibus in rebus voluptatum suarum maximam constituerebat. Cum orabat, miris deliciis perfundebatur, visusque non semel est a terra sublimis, & sensibus alienatus. Cum fratre Martino degebat in collegio Arevalensi P. Vincentius Puche, magni & hic nominis vir, & in divinis rebus meditandis summe versatus. Accidit ut, dum maxime ambo in precibus pernoctabant, subito incendio conflagrare viderentur aedes Societatis. Accurrerunt propere cives, ut flammam late diffusam restinguerent. Tranquilla erant domi omnia, incendii ne vestigium qui-

quidem, aut umbra: unde omnibus persuasum, illo flammæ ostento pium comprecantium ardorem fuisse divinitus demonstratum. Natus erat Martinus Astige in Vandalicia. Cum ex Hispania delatus est in Philippinas, naufragium fecit prope Marinduquem insulam. Tunc ille se, & sarcinulas suas per adversas undarum moles eiecit in littus, duobus insidens tignis in crucis formam compositis, quæ, ut appareret non naturali levitate supernataste, eo vix exposito submersa sunt. Decessit Arevali 111. Cal. Julias. Secutus est Manilæ VII. Idus Octobris P. Andreas Carus, gente Italus, vir cunctis virtutibus clarus, sed laudatus præsertim ab insigni pietate, qua erga Christi vulnera ferebatur. Hanc ipse religionem cordi impressam gerebat ante alias, hanc inter Tagalas mirifice propagavit. Primus de Societate rexit parœciam S. Michaelis prope Manilam. Quo munere cum fungeretur, accidit ut vocaretur ad ducendum funus mulieris cujusdam mortuæ. Ille mortuam audiens feminam, quam nec audierat ægrotare, doluit vehementer eam decessisse sic nullis morientium sacris expiatam. Advolvit ad locum, ubi jacebat compositum fetetro cadaver, ac prius quam ad ecclesiam exportaretur, positus humi genibus, rogavit enixe Deum, illum ut sibi angorem eximeret. Prece nondum finita, deprehenditur in muliere indicium vitæ. Micabat vena: utrum anima nondum emissa, an recepta divinitus, incertum. Illud certum, pergente Caro impensius supplicare, mulierem a somno veluti expergefactam assurrexisse sensibus omnino integris, confessionem piacularem instituisse, auditam per otium, & absolutam fuisse, hisque vix peractis, animam exhalasse. Res adeo mirabilis, in oculis multorum testium gesta, non est dictu facile quam cito, quam late percrebuerit, quantamque eximio Sacerdoti opinionem sanctitatis conciliaverit. Omnibus domi forisque venerationi erat. Sed in medio vitæ & laborum cursu sublatus est, annos natus quinquaginta. Mortui funus Manilenses incredibili frequentia, & luctu publico honestaverunt.

Per idem tempus in illa provinciâ Mexicanâ parte, quam Cinaloam appellant, omnia fiebant in dies christianæ rei, ac Societati lætiora. Latissimum agrum procurabant operarii tantum septendecim, per novem domicilia distributi, percurrerantque ultra citroque pagos amplius quinquaginta suæ curæ commissos, in quibus lectissimam neophytorum sobolem numerabant. Pervadebant etiam identidem in interiora regionis, ad perquirendos mulcendosque barbaros, Christiano pariter & Hispano nomini inimicos. Quibus excursionibus quantum meterent fructum, argumento sit, quod anno antè hunc tertio neophytorum numerabantur capita septuaginta millia: nunc autem, censu iterum facto, auctus ille numerus inventus est undecim millibus: fuissetque fortasse amplior, si plures affuissent evangelici ministerii adjuvatores. Sed eorum paucitas moliri plura non sinebat. Et provinciæ Præposito Nicolao de Arnaya, etiam si maxime vellet in regionem jam abescentem jam ad messem alios atque alios operarios immittere, deerant qui mitterentur, saltem e numero Sacerdotum, qui in provincia tam longe lateque diffusa censebantur paulo plures centum & quinquaginta. Ex hac ipsa nihilominus tam modica Sacerdotum manu Patribus in Cinaloa desudantibus addidit hoc anno auxilium sociorum septem. Duos præterea Granatam misit in provincia Nicaragua, qui novi collegii fundamenta ponerent. Fuerat ibi quatuor ante annos P. Petrus Chabrera, & oblatam a civitate sedem stabilem cum assensu Præpositi Provincialis acceperat. Verum id ubi rescivit Mutius, comperto esse Granatæ aliorum ordinum religiosos, qui sacrorum ministeria civitati abunde præstarent, deserere sedem iussit. Frustra Prætor, frustra oppidani questu lacrymisque socios retinere conati sunt. Quod unum licuit, abeuntibus nostris, dedere ad Mutium litteras, publico nomine comprecantes, ut consilium mutaret. Et siquidem factum certo sperabant, communi interea consensu demandarunt prætori, ut donec Mutii responsa advenissent, rem omnem familiarem illius domus administraret nomine Societatis. Responsa nondum advenerant, cum ex aliis Præpositi Generalis

lit-

156.
Obitus & elogium P. Andree Cari.

157.
Res MEXICANÆ.
Progressus religionis in Cinaloa.

158.
Collegium constituitur Granatæ, & mox dissolvitur.

199.
Decernitur
aliud collegium
Regalei, sed eo-
dem exitu.

200.
Mors & elo-
gium P. Hiere-
nymi Ramirez.

201.
R E S
PARAQUARIÆ.
Status provin-
ciæ sub P. Petro
de Ognate.

litteris Arnaya occasionem cepit representandi Granatensibus quod expectabant a Mutio beneficium. Antonius de Grixalva, vir æque pius ac locuples, fundum obtulerat ad excitandum nobis collegium Regalei. Oppidum id erat Societatis ministeriis opportunum ut quod maxime: nam & proxime aberat portu, quo sæpe naves solebant ex Peruvia, novaque Hispania commeantes appellere, & quam abundabat incolis, tam sacerdotibus indigebat. His de causis Mutius, accepta donatione Grixalvæ, jubebat collegium Regalei quantocyus condi. At Arnaya, recte existimans ægerrime laturos Granatenses, tam subito tribui Regalejensibus quod negatum sibi, ac pene de manibus ereptum fuisset, illud peni habens præterea, collegio Granatæ reddito, multo fore commodiorem Regalejensium sociorum communicationem cum cæteris provinciæ partibus, Generalis mentem interpretari maluit, quam nova ejusdem rescripta opperiri: proindeque Chabreram, anno quam inde abierat nondum elapso, remisit cum alio Sacerdote Granatam, & collegium amantissimæ civitati restituit. Utrum hæc Arnayæ consilia Mutius probaverit, ex nullis litteris comperire potui. Tantum invenio, nec Granatæ, nec Regalei Societatem perpetuo mansisse.

Hunc denique annum toti Mexico luctuosum fecit obitus P. Hieronymi Ramirez, quem ejus regni Apostolum appellare non veremur: adeo inter cultores illius soli laboribus, & rebus gestis eminuit. Virtutes, quæ apostolico impositæ sunt nomini, a puero coluisse dicitur, charitatem maxime, atque patientiam. Dum primis operabatur litteris Cordubæ, elephantiaco foede maculoso, cujus vel aspectum omnes horrebant, oscula sui victor dedidisse, & ulcera linxisse fertur. Ex quo uno licet existimare, quantum solida virtutis teneris adhuc annis esset. Adlectus in Societatem, missionem Indicam studio animarum petiit, exoratisque vix demum moderatoribus, in novam Hispaniam transfudit. Hic magno conatu, licet non magno temporis spatio, Mexicanæ linguæ peritiam assecutus, primo per provinciam Mechoacanam lucem Evangelii circumtulit, ubique alte impressa apostolici laboris vestigia relinquit. Missus deinde ad barbaros, quos Parras vocant (accolæ sunt ingentis lacus, qui Topiæ montes alluit ad orientem), atque horum quoque lingua potitus, innumeros doctrina fidei imbutos baptismo consignavit. In qua peregrinatione id illi mirum contigisse tradunt. In pago nescio quo, post traditum pluribus familiis baptismum, dum singula obit neophytorum mapalia, quærebat anxie, numquis apud eos esset nondum baptismo initiatus? Negantibus cunctis talem inveniri apud se, etiam atque etiam inquiri, ac singula penetrabilia vestigari diligentius jubet. Ecce autem in intimo quodam specu senex invenitur annorum centum. Is baptismi nec nomen unquam audierat: at in reliquis, peculiari Dei beneficio ita vixerat semper, ut naturæ legem nunquam graviore noxa infregisse videretur. Adit illum Sacerdos: quæ ante baptismum credere necesse est, docet, ac rite præparatum aspergit aqua salutari, qua vix ablutus fortunatus senex animam exhalavit. Ramirez post hæc Guatimalam in extremum provinciæ latus progressus, urbem sibi ac Societati devinxit: novi collegii fundamenta jecit: Antistitem vero aperte infensum, & nostrorum ministeria repellentem alloquio modestiæque ita lenivit, ut fuerit ex eo tempore amicus sociorum & fautor, qui eorum aspectum antea ferre non poterat. Tandem collegio Pazquarense reddito, dum australem Mechoacanæ provinciæ partem in summo æstu peragrat, lethali oppressus morbo decessit, pridie Idus Januariæ. Annum decurrebat ætatis tertium supra sexagesimum, initæ Societatis quadragimum tertium. Hactenus de rebus Mexicanis.

Venio nunc ad provinciam Paraquariæ, de qua dicturus, altius exordiar, resque omnes sexennii proxime evoluti uno narrationis contextu peragam. Non enim licuit singula in suos annos ordinate digerere. Tres præfecturas provincia Paraquariæ complectebatur: Paraquariam proprie dictam, regnum Chilenum, & Tucumaniam. Societatem intra hos fines administrabat ab anno sæculi decimoquinto P. Petrus de Ognate, singulari virtute solertiaque vir, cujus præ-

præsertim effectum industria, ut non mediocriter augetur numerus sociorum, Nam præter auxiliares manus, quæ subinde ex Europa submittebantur, multos ipse receperat in Societatem delectos juvenes ex coloniis Hispaniensibus, quæ erant in illo terrarum tractu fundatæ. Itaque provincia adhuc recens constabat jam capitibus ferme ducentis: quorum ut labor quam latissime funderetur, Provincialis idem Ognates plures, tum Hispanorum colonias, tum populos barbarorum novis stationibus occupaverat. Idem, potestate sibi facta a Præposito Generali, in collegiorum formam erexerat Societatis domicilia quinque, Boniaeris scilicet, & Sanctæ fidei in Paraquaria: Conceptionis, & Mendocinum in regno Chilensi: denique domum S. Michaelis in Tucumania. Nuperrime in eadem præfectura Tucumania addiderat Societati collegium Estecense, quod quamquam brevi, abeuntibus inde Hispanis, dimissum est, initia tamen habuit fecundissima, & plane memorabilia. Oppidum est Estecum centum viginti milibus a nova Corduba, secus viam quæ Potosium ducit. Ibi coloniam habebant Hispani opportunitate loci, & soli ubertate futuram inter celebriores Tucumania, si ad has terræ commoditates accessisset cœli salubritas, quæ nulla est in humido & calido solo. Anno labentis sæculi decimo octavo, Estecum cum advenissent Patres Franciscus Gomez, & Joannes Darius, sacris concionibus, cæterisque ad animarum salutem adhiberi solitis, suam colonis operam adeo probaverunt, ut communi omnium consensu collegium statim Societati oblatum, paratumque fuerit. Eo accepto, Provincialis misit in possessionem novi domicilii familiam sociorum quinque, qui quidem aggressi propria sui ordinis exercere, spem civium, ac prope vota superarunt. Exincta brevi sunt inveterata potentiorum odia, quibus tota civitas in cruentas factiones scindebatur: compressæ libidines, emendati mores, & quod omnibus miraculo prope fuit, excisum ulcus civitatis incuratum hætenus, nullisque, ut apparebat, remediis sanabile. Domus erat Esteci jamdiu ludis licentiæque aperta, quam vulgo inferiorum vestibulum appellabant: tot ibi flagitia, tam impune cudebantur. In eam scelerum officinam investi vehementius Patres, intra breve tempus occlusam viderunt. Circa idem tempus Roxani quoque stabilem apud se Societatem avidè expetebant. Roxam, quæ Hispanorum pariter colonia est in Tucumania, duo nostrorum excurrerant. Statim atque audiri concionantes coeperunt, ea facta est morum conversio, ea privatim ac publicè parva quies, ut coloniarum successu delectarentur majorem in modum. Ut perennaret fructus, fit raptim decretum de retinendis Patribus. Coloni, quamvis in magna tunc fortunarum inopia, sex mille uncias argenti ad condendum Societatis domicilium conferebant. Sed nondum ea erat ad manus copia sociorum, quæ in tot partes dispergi posset. Ognates, memor quæ sæpe ante Claudius, ac deinde Mutius mandasset, ne plus operis Societas amplecteretur, quam cui explendo sufficeret, nullis precibus victus est, ut Roxanorum petitioni assentiretur.

Idem tamen justas esse causas censuit, cur in vallem Calchaquinam mitteret homines Societatis, ab iisque pastorale munus geri permetteret. Jacet ea vallis inter præruptos Tucumania montes, porrecta in longum millia fere nonaginta, exigua latitudine. Incolarum numerus millia capitum triginta circiter. Gens totius provinciæ bellicosissima. Libertatem suam tanta hætenus pertinacia tutati fuerant, ut femina cessantes maritos, aut fugientes incussis facibus ad pugnam incitarent. Semel atque iterum Hispani conati fuerant excitare arcem, & valli quasi jugum imponere. Eos semper Calchaquini cum magna clade repulerant. Idem nihilominus Evangelii ministros ad se venientes benigne suscipiebant. Quidam etiam suos illis filios adhuc parvulos ultro permisérant baptizandos. Quibus ex rebus spes quædam ostendebatur, facile totam gentem ad Christum adductum iri, si essent per quos diligentius institueretur. Hæc reputans Episcopus Tucumania, vallem omnem divisit in curias duas, easque Societati administrandas tradidit. Primi designati sunt Parochi PP. Christophorus a Turre, & Horatius Morellus, hisque dati comites & adjutores PP. An-

202.
Fundatur collegium Esteci in Tucumania.

203.
Oblatum Roxæ domicilium non accipitur.

204.
Curiones de Societate Calchaquinis dati.

205.
Rebus parum
prosperè gestis
curias dimittunt.

PP. Antonius Mazerus, & Joannes Baptista Sampsonius. Sed licet magno animo rem gererent omnes, spem eventus fefellit. Nam, quod mirere, non alia fuit natio, quæ fidei doctores exciperet honorificentius, nec fortasse alia, quæ eorum doctrinam contumacius repelleret. Unde aucta suspicio, quam non levia pridem indicia moverant, Calchaquinos ab Hebræis fuisse profeminatos. Multa certe apud eos exstabant hebraicæ religionis vestigia. Davidis & Salomonis nomina plerisque imponebantur. Circumcisionem, & alios quosdam hebræorum ritus apud majores suos viguisse, ipsi affirmabant. Toto sexennio Patres perseverarunt operam illis navare peræque laboriosam, & sterilem: nisi quod infantes bene multos proxime morituros, & nonnullos grandes natu sacro fonte asperferunt. At demum Ognatis successore Nicolaus Mastrillus Duranus, sociis inde abductis, curias dimisit.

206.
Status rerum in
Guairana a suis
initis.

Longe feliciter acta res in præfectura Paraquariæ. Duæ ibi nationes æque frequentes, & barbaræ nostrorum labores præcipue distinebant, Guairanenses, & Paranenses. Guairanam, quæ ampla est portio Paraquariæ, pervaserant ante aliquot annos PP. Joseph Cataldinus, & Simon Mazeta. Progressi enim a colonia Assumptionis millia passuum amplius quingenta, navigaverant adverso Parane fluvio in interiora regionis, inventisque indigenarum crebris familiis oram fluminis sparsim accolentibus, ex iis simul collectis duo condiderant haud contemnendæ magnitudinis oppida, quorum alteri a Virgine Lauretana, alteri a B. Ignatio nomen inditum. In his oppidis sedem fixerant Patres: atque hinc identidem per circumpositæ regionis campos & nemora longe lateque excurrentes, magnis incolarum accessionibus utrumque populum augebant. Laboris interea socium & adiutorem habere cœperunt P. Antonium Ruizium de Montoya, magni nominis operarium, de quo sæpius in hac historia sermo rediit. Accessit paulo post quartus laborum & periculorum comes P. Martinus Hurtasus, vir ingentis animi, & apostolo Indiarum Xaverio affinitate conjunctus. Itaque bini jam in singulis debebant oppidis Patres, nullusque abibat annus, quo non aliqua centena barbarorum capita undique conquistata ad suos greges adducerent. Anno de quo scribimus, censebantur in utroque oppido, partim neophyti, partim catechumeni, ad sexdecim millia, quibus quotidie in sacram ædem convocatis Patres fidei doctrinam explicabant. Ne statim adultos baptismo initiarent, obstabat, quod alibi passim, ratio connubiorum. Hominibus quippe existimantibus, non esse e dignitate sexus virilis iisdem ac mulieres obstringi legibus, dura videbatur lex unius tantum uxoris, & semel ductæ, quamliu viveret retinendæ. Quæ naturæ vitia licet paulatim virtuti cœlestis gratiæ cederent, inde tamen Patribus perpetuus labor, & interdum vitæ pericula proveeniebant.

207.
Felix expeditio
Patris Cataldini
ad Tucutienses.

His generatim, ac leviter indicatis, juvat aliqua, quæ hoc præterito tempore acciderunt, paulo diligentius exequi. Anno sæculi decimosæptimo P. Cataldinus ex oppido Lauretano ad barbaros Tucutienses periculosam suscepit expeditionem. Deserto natali solo, profugerant Tucutienses in silvarum latebras, & anfractus montium, novamque sibi sedem in loco remotissimo constituerant metu Europæorum, qui miseros instar ferarum venabantur assidue, & per vim, aut insidias captos abducebant in servitutem, venalesque proponebant. Ad eos cum Indis aliquot locorum gnaris erepsit Sacerdos impiger, durissimo dierum quindecim itinere, baculum manu gestans instar crucis in summo formatum: nam hic Evangelii præconibus scipio viatorius erat, idemque caduceus, & pacis foederisque insigne. Pagum ducentis constantem familiis ingressus, barbaros apposita oratione demulsit, sibi que ac christiano nomini conciliavit. Instabat, ut secum in oppidum Lauretanum demigrarent. Sed confici nihil poterat, nisi de sententia Caliquii, quo illi nomine suos principes appellant. Ad hunc ergo legationem cum caduceo suo mittit Cataldinus, pacem & colloquium petens. Venit princeps, ac prolixè quod petebatur annuit. Hinc nongenti, Patrem viæ ducentem sequentes, Lauretum veniebant, neo-

neophytorum exemplis & moribus imbuendi: cum apparuit Hispanorum globus, prædam & mancipia venantium. Barbari partim expediunt arma, partim fugam circumspiciunt. Utrosque paulisper continuit Cataldinus, dum alloqueretur prædones, & quantum posset dicendo consequi, ab inferenda vi cohiberet. Cum nihil ab inhumanis hominibus impetraret, affuit repente auxilium præfens unde minime expectandum erat. Erumpens e vicina silva tigris, impetum fecit in agmen improbum, ducem laniavit, reliquos in fugam egit. Alias ex oceani Brasiliæ littoribus in Paraquariam illapsus fuerat circulator nequam, qui divinos sibi honores arrogabat. Is, peragrata maleficiis regione, in oppidum Lauretanum venerat. Statim congregat plebeculam, & vericolori ex avium plumis chlamyde indutus, agitato e capræ calva crepitaculo, proclamat se vitæ ac necis arbitrum: sterilitatem, & ubertatem in sua esse manu: Deum denique se illum esse, quem Christiani colerent. Hæc stentorea voce crepans, concutere timidum vulgus coeperat. Non tulit infandum caput Cataldinus, factisque, non verbis refutandum balatronem impium ratus, corripit subito a valentissimis neophytis vociferantem, & flagris non molliter cædi jubet. Qui cum inter verbera se, non jam deum, sed hominem esse clamitaret, ac vero dolore probaret, e demonis ministro Dei veri servus existit, tanto fidelior, quanto certius agnovit se fuisse in errore versatum.

Pacatis in oppidis existebant aliquando improvisa pericula. Unum exemplo omnium sit. Michael Atiguaye, Casiquius oppidi S. Ignatii, pellices superinduxerat conjugi. Cum a Patribus ea res improbaretur graviter, ille ira percitus populares concitat, ut importunos monitores ejiciant, aut neci dedant. Fuit qui furenti consilium dedit, rem tantam inconsulto Lauretanorum Casiquio suscipi non debere. Quantum enim periculi fore, si vir Patribus addictus, & viribus præpotens, eorum injuriam persequeretur? Hunc ergo prius in consilii societatem esse adsciscendum. Motus oratione barbarus, postridie in Lauretanam coloniam, vix quarto inde lapide, venit cum trecentis armatis. Nihil horum latebat Patres: tamen nec locum deferere, nec ullis occultari latebris voluerunt, divino patrocínio frâti. Ecce autem, dum rei exitum opperiuntur, seque ad necem fortiter excipiendam comparant, ingreditur ad eos Michael sine comitatu, sine armis; & accidens ad ipsorum pedes, meditati facinoris veniam rogat. Non dicam ut exceptus fuerit; id enim cogitatione assequi primum est. Sed causam tam nec opinatæ mutationis tacere non licet. Rochus Maracana (id nomen casiquio Lauretano erat) Patres Societatis prope ut parentes suos amabat, ac verebatur. Ut audiit ex Michaele, cujus rei causa advenisset, non ultra loquentem ferens, irruit in eum ferociter, nihil tale expectantem afflixit humi, pugnis calcibusque male multatum dimisit. Quo facto Michael, ut se collegit, meliorem momento induens mentem, suos remisit domum, ipse habitu quo dixi ad Patrum ædes profectus est. Adeo furiosiores interdum, si audacter excipis, domas. Quis jam putaret eundem hunc Rochum, nunc Patrum fautorem tam eximium & vindicem, paulo post mutata voluntate infectatorem acerrimum fore? Fuit tamen. Jecit odii semina Sacerdos improbus, qui nescio quam obtendens inspectoris ecclesiastici potestatem, ex urbe Assumptionis irrepserat in oppidum S. Ignatii, ut nostros homines ex Guairana depelleret. Longum sit dicere, quibus calumniis veterator popularium animos circumvenerit. Nostros ajebat, quos suos ipsi Patres dicerent, fures & latrones esse. Mitti a Rege quotannis annonam viritim dividendam inter neophytos: nullam ejus partem dividi: totam intercipi a bonis Patribus. Præterea venisse sæpius criminiosissimas Patrum litteras ad præfectum regium, tum oppidanos, tum casiquium nominatim accusantium, utque in fontes animadverteret postulantium. Hæc & similia calumniator spargebat in vulgus, quibus Rochus incitatus, ac pene in furorem actus, de perdendis Patribus deliberavit. Cum illos apud plerosque perspecta tot in rebus fides, & vitæ innocentia tueretur, multique quolibet suo periculo Patres defensandos putarent,

T. I.

V u

rent,

208.
Europæi miro modo cohibentur ne vim illis inferant.

209.
Nugator impius ab amentia revocatur.

210.
Periculum sociorum ex iracunius Casiquii.

211.
Quomodo mitigatus ille sit.

212.
Alter Casiquius conspiracyem facit contra Patres.

213.
Conspiratio ul-
tore Deo com-
primitur.

rent, populus in partes abiit. Quæ a nostris stabat, numero, opposita dignitate potentior erat. Dum omnia tumultu civili perstrepunt, progreditur ad concionem P. Simon Mazeta, & bono esse animo omnes jubet. Conari quidem diabolum per administratos nequitia suæ, ut novo christianorum gregi salutis aternæ viam præcludat: sed illos brevi daturos sceleris poenas, & inde finem discordiæ fore. Quo spiritu hæc pronunciaverit Mazeta, statuere pro certo non possim. Sane Rochus postridie, & duo minores casiqui consiliorum, ejus participes ægrotare coeperunt, omnesque intra quartam diem occubuerunt. Nec diu post Presbyterum, cujus maledicentia seditionem concitaverat, vipera occidit. Quibus sublatis, in oppidum quies rediit.

214.
Mortuus ad vi-
tam revocatur.

Rebus hoc modo compositis, iterum florebat apud Lauretanos pietas, & pietatis alrix concordia: cum prodigium accidit admirabile, quod non referrem, nisi se præsentem contigisse scriberet testis omni exceptione major, P. Antonius Ruizius de Montoya. Obierat unus quidam neophytorum, & jam illato in ædem funere sepeliebatur. Ex improvviso *resedit qui fuerat mortuus*, & exiit feretro, cunctisque metu diffugientibus, unum compellavit P. Ruizium. Hunc ut ad stare præsentem vidit, narrare incipit, sibi vix mortuo adstitisse horrenda specie diabolum, & aduncas manus intentasse, propterea quod duo in ebrietate commissa nunquam esset confessus. Excipiente se contra, non id animi pravitate, sed oblivione esse factum, cum furcifer non acquiesceret, adfuisse cœlesti lumine circumfusum Principem Apostolorum Petrum cum Angelorum pari, eorumque aspectu diabolum fugatum fuisse. Tum se audivisse ab Apostolo, placere summo Numini ut ad vitam rediret triduo finiendam, & continuo revixisse. Percunctanti Ruizio, quam putaret rei tam insolitæ causam esse? Non aliam, subjecit, nisi ut moneam populares meos, vera esse, quæ vos de vita post hanc futura traditis, omnesque exemplo meo ad confidentia rite peccata excitentur. His auditis, multos incessit metus salutaris. Multi tribunal poenitentia adierunt, & confessionem piacularem quam potuerunt maxima diligentia peregerunt. Erat interim omnium magna expectatio, an qui revixerat neophytus triduum vivendo superaret? Toto ille biduo valuit sensibus omnino integris, quo tempore nunquam cessavit oppidanos turmatim confluentes cohortari, ut morem gererent Patribus, ut dicto audientes essent. Die vero tertia, iterum expiatus occubuit: neophytis rei novitate adeo percussis, ut exinde ad omnia pietatis officia multo promptiores esse coeperint. Nondum illis Patres Eucharistiæ sacrosanctæ copiam fecerant ante annum sæculi decimum nonum. Sed jam cum essent bene multi ejusmodi morum integritate, & doctrinæ christianæ peritia, ut ad percipienda mysteria tuto viderentur admitti posse, delecti sunt ex omni multitudine probatioris, qui prærent cæteris, & cœlestis doni participes primi fierent. Ii certo temporis spatio diligentius instituti, ac multimodis præparati, demum sacro epulo refecti fuerunt. Et vere refecti. Nova enim posthac munditia vitæ fulserunt, qua cæteris persuasum est, sacrorum communionem esse vitiorum finem, & vitæ sanctioris exordium. Hinc alii, ut cœlesti convivio pariter fruenterent, emendandis moribus, addiscendisque christianæ fidei institutis impensius studere. Pars examen ultro deposcere. Senes cum pueris, cum populo proceres doctorem quarere, & urgere. Triumphare qui erant delecti, & corpora simul animosque hospiti Deo præparare jejunio, precatione, & voluntariis afflictationibus. Porro ad ingerendam hominibus adhuc rudibus reverentiam sacrarum rerum multum valebat ipse cultus exterior, quo Patres exercenda curabant omnia, quæ ad religionem pertinerent. Vix credibile videatur, quod tamen auctores idonei tradunt, in illa terrarum vastitate, nihil minus quam in cultioribus Europæ locis, divina peragi consuevisse cum splendido apparatu, & pompa, cum cantu præterea ad numeros composito, cum instrumentis musicis, & symphoniacis. Id potissimum referri debuit acceptum Patri Joanni Vasæo, qui suffectus in locum P. Martini de Urtafo, cum esset rei musicæ scientissimus, tam multos, ac tam scite insti-

215.
Neophyti pri-
mo ad eucharis-
ticam mensam
admittuntur.

216.
Quo cultu res
sacræ perageren-
tur in Guairana.

tuit adolescentes, ut Guairanenses chori tota celebrarentur America. Sed hæc momenti levioris. Illud fane ad pelliciendos neophytorum animos multo præstantius, quod se a Patribus plus quam paterne diligi sentiebant, habebantque in iis quasi parentes totidem, ac rerum suarum omnium amantissimos curatores. Id maxime patuit cum utrumque oppidum lues pustularum corripuit, malum in Paraquaria frequens, & qualibet pestilentia exitialis. In ea calamitate Patres nunquam neque noctu, neque interdum cessarunt concurrere languentium ædes, ac præter æternæ vitæ præsidia, curandis etiam corporibus necessaria providerunt. Quodque mirum videri merito debeat, licet rei familiaris inopia ipsi laborarent, semper tamen paratam habuere domi ciborum copiam, quam ad fores convenientibus quotidie dividerent.

Dum hæc in Guairana gerebantur, Paranensem agrum pari fructu excolebant Patres Rochus Gonzalus, Didacus de Boroa, Joannes Salas, & Claudius Ruyter. In istam regionem primus pedem, & Christi nomen invexerat anno labentis sæculi undecimo P. Marcellus Lorenzana, a quo etiam conditus fuerat opportuno in loco pagus a S. Ignatio nuncupatus, collectaque in eum non modica barbarorum manus, ut in quinta parte fuscè describitur. Lorenzana suffecti quatuor quos dixi Patres, ejusdemque imitati constantiam & fortitudinem, pergebant inter sexcenta vitæ pericula propagare divinam fidem, & Christi gregem augere. His finibus contineri nequaquam potuit P. Rochus Gonzalus. Ab oppido Ignatiano progressus millia ferme triginta regionis uliginosæ, coenosisque gurgitibus propemodum imperviæ secus Paranem fluvium, multas invenerat indigenarum familias ad oram fluminis palantes suo more. Occurrunt e vestigio barbari clava & arcubus minaces, & sistere gradum jubent. Pergit nihilo secius Sacerdos, & vocem interrito vultu atque animo contendens, se Dei præconem, ac ministrum clamat: ponere intentos arcus, & audire cogit. Delectavit feroces homines ea fortitudo periculi necisque contemptrix; nam hæc laude plurimum gloriantur. Admissus in medium Gonzalus, cur venerit, quid promittat edisserit. Placuit oratio. Nieza, casiquorum potentissimus, operam illi suam, ac tutelam obtulit. Persuasit genti Rochus, ut ad convivendum coirent in aliquo certo loco, & pacem colerent. Locum ipsum monstravit, in quem suas singuli domos transferrent. Itapua appellabatur locus, omnibus vitæ usibus opportunus, & propterea quod ad alias barbarorum gentes aditum aperiret, Patrum consiliis maxime accommodatus. Ibi crucem præaltam defigens in littore, vocato populo, mysterioque explicato, illam adoravit primus. Rochum circumfusi ethnici, prostratis corporibus, imitati sunt, specimen primum exhibentes religionis, quam omnes postmodum susceperunt. Constructum est ibidem extemporale templum, & oppido Itapuano pastor de Societate impositus. Novum deinde fundatur oppidum ad Iniam annem, ubi Paranis subit alveum. Oppido nomen a corpore Christi datur. Diu restiterant Inienenses Patribus Rocho Gonzalo, & Didaco Boroæ suadentibus, ut Itapuanis quinquaginta millia passuum distantibus se jungerent. Cesserunt denique, atque ultro Patres vocatum miserunt: velle nimirum se quoque Christianos fieri, & in formam civitatis coalescere. Quadringentæ statim familiæ unum in locum, sedes transfulerunt, & in divini Patris familiam cooptatæ fuerunt. Ita in illo tractu, qui prope Paranem excurrit, tribus in locis totidem habebamus neophytorum curias, numero & pietate spectandas: Ignatianam, Itapuanam, atque hanc, de qua modo dicebamus, a Christi corpore appellatam. Accidit ut ex Ignatiana, ut mobilia sunt barbarorum ingenia, dilaberentur multi, & ad nationem bidui distantem transfugerent. Transfugas ad suum oppidum, & ad prioris vitæ institutum retraxit P. Didacus de Boroa. Nam cum audisset, nationem illam pestilenti morbo conflictari, eo perrexit propere, secum ferens quidquid medicamentorum habere potuit. Tum aggressus languentibus opem, ac solatium exhibere, eos denuo devinxit sibi, dataque singulis fide, nullas ab ipsis desertionis poenas exactum iri, omnibus persuasit, ut una secum reverte-

To. I.

V u 2

ren-

217.
Peste contra-
ctis Patres sub-
veniunt.

218.
Status rerum
in regione Para-
nensi.

219.
Oppidum a
P. Rocho Gon-
zalo conditur
Itapua.

220.
Itemque aliud
a Christi corpo-
re nuncupatum.

221.
Neophyti trans-
fuga revocantur
in suum oppi-
dum.

rentur. Post hæc Ignatiani, non solum firmiores in suscepta fide, verum etiam ad omnia pietatis officia multo promptiores effecti. Documento sit quod sub-
jicio. Itapuanis semper usi fuerant inimicissimis. Eos nihilominus cum audif-
sent magna premi rerum omnium penuria, fame laborantibus annonæ sub-
sidium ultro miserunt: homines cæteroqui a barbarie recentes, & nuper omnis
humanitatis, nedum talium officiorum expertes.

222.
Nostrorum
summa inopia
in illis regioni-
bus.

Non possum hoc loco prætermittere, quibus nostrorum laboribus & incom-
modis tot ex illo novali collecti fructus, servatique fuerint. Præter molestias
conquirendi, erudiendique homines ingenio barbaros, & ex consuetudine vi-
tæ solutioris adversus omnia legum vincula contumaces, vivebant Patres an-
gustissime, & perincommodè. Plures continenter annos pane triticeo, vino,
& sale penitus caruerunt, neque carnem gustaverunt nisi ferinam, eamque ad-
modum raro. Quotidianus victus herbæ, & legumina. Nihilo melior suppellex.
Omnia longo usu detrita, asutisque diversi generis laciniis resarta. Ipsas cal-
ceorum scissuras decisis tunicarum fimbriis consuebant. Quidquid stragulorum
ad suos usus attulerant, divisum est inter agrotos. Mantilia ipsa, & mappas
habuerunt sibi neophyti pauperiores. Vix erat Patribus reliquum, quo vitam
tuerentur. Rogatus olim Ognates Provincialis, ut stationi Itapuanæ stragu-
lum pullum operiendo mortuorum feretro provideret, eum in usum pallium re-
liquit suum, quod habebat unicum: nec eo tamen uti licuit tegendis mortuis,
sed in partes conscissum, vivis ac nudis neophytis distributum est. In tanta
porro rei familiaris angustia versabantur Patres voluntate magis, quam neces-
sitate. Etenim, ne quid hoc loco dissimulem, cum primum nostri in eas ter-
ras advehi sunt, & barbaros pagatim collectos instituere christiano ritu coepe-
runt, illis Prorex Peruvæ pensiones annuas assignavit ex arario Boni aeris,
& tantundem dari iussit, quantum dari cæteris Indorum curionibus pro sti-
pendio solebat. Verum P. Didacus de Torres id temporis provinciæ preses,
negans professis Christi paupertatem tali proventu opus esse, oblato vectigalis
quartam tantummodo partem admisit. Erunt fortasse quibus hoc temperantiæ
exemplum minus credibile videatur. Iis quidem certe persuaderi ægre poterit,
qui collectas a nobis immodicas in Indiis opes quotidie prædicant. Sed nos
rem scribimus veram, & Hispaniarum consilio Indico satis exploratam. Præter
hæc, gnari Patres quantum intersit, nullius terrenæ rei appetentes Evangelii
ministros inveniri, non modo nihil nec sponte oblatum a neophytis accipie-
bant, sed sibi potius quod illis darent subtrahebant: qua beneficentia (nam-
feras quoque tangunt beneficia) omnium sibi animos mirifice conciliabant.

223.
Oblatum pro-
ventum non ac-
cipiunt, nisi ex
quarta parte.

224.
Nostræ liberta-
tem Indorum
tuentur.

Sed paupertas, si malum est, viris religiosis tolerabile malum est, imo
etiam in deliciis habendum. Aliis nostri molestiis, aliis multo gravioribus con-
sistebantur incommodis in Paraquaria. Dictum est alibi, quam inique aliqui
Hispanorum conarentur indigenas in servitutem abducere, quam acriter hi con-
tra libertatem suam, cujus erant in possessione antiquissima, & cujus amor ho-
mini vita ipsa potior est, tuerentur. Nostræ regio fratri diplomate defensabant
libertatem Indorum, & conatus improbos colonorum pro viribus retundebant.
Sæpe abactores rapacissimos persequebantur, & incusso Dei Regisque metu præ-
dam mittere cogebant. Sæpe eorum excursionibus anteceptis, saltus adibant
longe positos, scrutatique barbarorum latibula, magnas eorum manus iniquis
raptoribus præripiebant, & contra vim tuebantur. Inde magnam subierunt in-
vidiam. Colonorum aliqui, ægre ferentes præverti nostrorum charitate inju-
rias suas, falsis criminationibus, tum in America, tum in Hispania Patres in-
sectari cœperunt, perinde quasi nullam rei christianæ gerentes curam, id age-
rent unum, ut collectos Indorum populos sibi subjicerent, ac suam potentiam
amplificarent. Futurum sperabant omnino, ut tanquam hostes publici proferri-
berentur homines Societatis, iisque amotis, curias administrandas acciperent
alii, quibus minus cordi esset quid juris coloni sumerent contra indigenas. Et
invenio valuisse calumnias usque adeo, ut in urbe Assumptionis Paraquariæ pri-

225.
Propterea in in-
vidiam vocati,
& calumniis ap-
petiti.

primaria deliberatum sit, an non verius esset revocare ex Guairana nostros, aliosque illis pastores substituere. Pene vicerant qui hoc censebant, nisi auditus fuisset vir usque ad sanctimoniam famam illustris Marcellus Lorenzana, qui de Patrum laboribus & fructu longe diversa retulit. Unam ille rem affirmabat sibi esse visam in Patribus reprehensione dignam, quod nempe modum excederent omnem in laborando, nullamque tuendi corporis rationem habentes, intra breve spatium omnes laborum magnitudine opprimendi viderentur. Quo audito, consultantium sententiam in aliam partem inclinaverunt.

Quasi hæc satis non essent, aliæ aliis in locis factæ sunt offensiones, & quod fateri debemus, non sine quorundam e nostris aut culpa, aut errore. Duæ præsertim res acciderunt, unde nostris ingens molestiarum seges oblata. Eas nos cum fide subjicimus. Paraquariam proprie dictam Rex nuper diviserat in præfecturas duas. Alteram antiquo nomine Paraquariensem vocari præceperat, cujus caput, ut antea, esset civitas Assumptionis: alteram a flumine argenteo nuncupaverat, & coloniam Bonaeris habere pro metropoli jussit. Hanc posteriorem qui primus administrandam obtinuit Didacus Gongora, eadem qua vectus est navi nescio quid exportavit mercium: quæ res etsi contra leges esset, tamen usurpabatur passim a præfectis regis, nec ulli hætenus fraudi fuerat. Cognovit nescio quo indicio Senatus Indiarum de mercibus furtim illatis. Nec mora. Cognitorem misit, qui in ipso portu Bonaeris quæstionem institueret contra præfectum. Erat Gongora Societatis amans in paucis. Videns instare sibi periculum, nisi merces occultarentur, P. Gabrielem Perlinum collegii Bonaerensis rectorem rogat per amicitiam, ut eas domi suæ custodiendas suscipiat. Morem gessit Perlinus, & quidem adeo incaute, ut rem olfecerint multi. Itaque inquisitor, vel admonitus a delatoribus, vel rem aliunde subodoratus, collegium ipsum vexare, scrutatores immittere. Perlinus contra, quasi iniquam vim pateretur, homines superosque contestari, ministros aditu collegii prohibere, contra regium judicem fidei Quæsitorem armare. Cum pergeret nihilo secius judex in collegium inquirere, eum denique Quæsitorem fidei, causa cognita, de vi religiosis illata damnavit, & gravi imposta multa depulit ex America. Quo hæc animo accepta sint a Rege, ejusque consilio, pronum est conjecturam facere. Sed profecto non mitius accepta sunt a moderatoribus Societatis. Provincialis Ognates Perlinum continuo e præfectura collegii dimovit, & in ordinem redacto successorem misit. Alias eidem, gravioresque addidit coercitiones Mutius, atque illam nominatim, quod inhabilem deinceps ad omnes ordinis magistratus pronunciavit. Quibus Rex sibi satisfactum existimans, nihil ultra movit, nec de veteri in Societatem benevolentiam quidquam remisit. Delictum agnovit Perlinus, multam obedienter, ut par erat, subiit. Tamen laud multo post mœrore oppressus, de mutando vitæ statu cogitabat, putabatque indolem suam Carthusianorum institutis aptiorem fore. Sed paternis Mutii consiliis acquiescens, non solum mansit in Societate, verum etiam post illud tempus usque ad obitum laudabiliter vixit. Atque hæc duarum, quas dicebamus, tempestatum prima fuit.

Circa idem tempus in colonia Assumptionis gravius turbatum est, neque nostri expertes publicæ perturbationis fuerunt. Urbis Antistes, vir ille quidem theologica scientia clarus, sed in agendo vehementior, & Societati nostræ, ut mitissime dicam, non amicus, censuras denunciaverat Præfecto Paraquariensi, nisi intra octo menses reduxisset ad se uxorem, quam in portu Bonaeris ad custodiam rei familiaris reliquerat. Præfectus, justas esse sibi causas putans ne præcepto obtemperaret, appellavit ex juris formula ad Archiepiscopum Argropolitano. Mox appellationi non cedentem Antistitem Assumptionis edicto publico reum pronunciavit regii decreti, quo proscribi jubebantur ecclesiastici magistratus, si legitimas appellationes contemnerent. Tali edicto læsum se graviter, ac dignitatem suam clamabat Episcopus. Opposuit aliud edictum, teneri Præfectum declarans lege in violatores clericorum constituta, arcendum proinde

226.
Societatis discrimen ob imprudentiam unius.

227.
Multatur ille, & periculum propulsatur.

228.
Grave dissidium inter Episcopum, & præfectum Paraquariensem.

a com-

229.
Diffidio impli-
cantur nostris,
& præfecti par-
tes tuentur.

230.
Irafcitur illis
vehementer E-
pifcopus.

231.
Componitur
controversia ex
æquo & bono.

232.
Cujusdam ado-
lescentis in am-
plectenda So-
cietate constan-
tia singularis.

a communione sacrorum. Ita incitatis utrinque animis, brevi res ad apertam inimicitiam deducta est, non sine offensione ac periculo civitatis, quæ in duas factiones scissa est. Capita factionum illustria, & maximæ auctoritatis, Episcopus hinc, inde Præfectus. Ambo circa se globos armatorum habebant, metusque multorum erat, ne demum de jure vel injuria ferro decernerent. In hoc statu rerum Præfectus ad rectorem collegii codicillos mittit, in quibus erat, ad continendam in regis obsequio civitatem referre plurimum, ut innotesceret, an standum videretur sententiæ Episcopi? rogare proinde se, ut Patres negotium expendant diligenter, ac de scripto respondeant. Erat collegii rector P. Joannes Pastorius, quo uno ex nostris Episcopus utebatur paulo familiarius. Nec vero non vidit homo sagax, rem exigi periculi plenam, accipitemque. Hæsit tantisper metu, ne alterutrum contra se irritaret. At consilium petenti nihil respondere, id enim vero indignissimum videbatur. Res igitur accurate discussa, & domesticorum gravioribus in consilium adhibitis, brevi scripto rationes explicavit, ob quas non videretur Præfectus commississe, cur esset sacrorum communione privandus. Prius tamen quam scriptum Præfecto traderetur, illud videndum misit Episcopo, jussis qui ferebant Patribus excusare responsi necessitatem, æquitatem ostendere, rogare etiam, ut si quid minus vere solideque dictum crederet, indicare ne gravaretur. Præsul nec sui copiam fecit Patribus, & libellum, qui oblatum aliena manu fuit, cum contemptu repulit. At postea quam illum a Præfecto longe lateque vulgatum vidit, nec sine doctiorum approbatione circumferri sensit, vix credibile quantam adversus nostros irarum molem conceperit. Irato, atque æstuanti novas quasi faces subdidit concio a Pastorio, bono quidem proposito, sed fortasse parum prudenter habita. Nam cum videret id agi ab Episcopo, ut cives obedientiam negarent ministro Regis, ipse ut populum in officio contineret, Præfecti causam publice perorandam suscepit. Id vero Antistes tam inclementer accepit, ut palam minaretur, se pro potestate judicis ordinarii in causis fidei, non ipsum modo rectorem, sed & reliquos collegii Patres in vincula conjecturum. Hinc nova, & multum clamorosa contentio. Rector veritus, ne vir fervidioris ingenii verba factis æquaret, & defensione legitima utendum ratus, ad normam privilegii tunc vigentis, conservatorem sibi sumpsit coenobiarcham Franciscanorum, qui collegium vindicaret ab injuriis Episcopi. Jam longum sit, nec utile, totam negotii feriem evolvere. Delata fuerat Argyropolim controversia, ibique apud regium auditorium agebatur. Sed altercationi finem imposuit, non tam sententia judicum, quam christiana charitas, in cujus leges, omissis litibus, utrinque conventum est. Episcopus ad insulas Tucumania traductus, ad coloniam S. Jacobi sedem novæ ditionis venerat. Adiit illum officii causa novus provinciæ præses P. Nicolaus Mastrillus Duranus, atque uno colloquio placavit sic, ut vix præterita offensionis vestigium superesset. Tantum in animo Episcopi acerbatis nonnihil residebat contra Pastorium, quem tametsi Provincialis loco movisset, & in extremum provinciæ angulum relegasset, nondum pro merito punitum arbitrabatur. Tamen eundem ut vidit coram se supplicem, & admissi veniam flagitantem, provolutum in genua, & vix dicere exorsum arcte complexus est, neque solum in gratiam recepit, sed etiam inter cariores amicorum deinceps habuit.

Has inter rerum vices præclarum constantiæ specimen in amplectenda Societate dedit nobilis adolescens, cujus commemoratio narrationem hujus anni claudet. Alphonfus de Ovalle, nobili ortus genere in urbe Chilensis regni primaria, idemque prima parentum soboles, & voluptas, cum in spem familiæ liberaliter educaretur, repente cœlesti instinctu consilium Societatis ineundæ cepit. Diu illum distulit Provincialis Ognates, ejus constantiam diu multumque tentavit. Tenacem propositi, & iteratis precibus admitti postulantem admittere demum constituerat: cum res innotuit parentibus. Non est dictu facile, quantum isti ob eam causam commoti fuerint. Quidquid in similibus multi solent,

filio-

filiorum mentem ut explorent in speciem, reipsa ut pervertant, id omne agrediuntur. Preces adhibent, suasiones, lacrymas: omne denique crudelium blanditiarum genus intentant, sed nullo effectu. Perstantem in sententia includunt domi, apposita custodia dies noctesque excubante, ne clam ad nostros transfugeret. Ille certus exequi quod Deo afflante conceperat, in omnem occasionem perficendi consilii imminebat. Oblata nec opinanti occasio est, die anniversaria divinæ Matris sine labe conceptæ. Solebat ea dies in urbe S. Jacobi ludis, equorum decursionibus, aliisque lætitiæ publicæ signis celebrari. Alphonfus, præmonito clam Provinciali quid pararet, patrem enixe rogat, sibi ut etiam liceat piis interesse spectaculis, & suas in equestri pompa partes exequi. Veniam non negavit pater: veruntamen, ne dilaberetur, comitem & custodem illi addidit fratrem, natu quidem minorem, sed viribus prope parem. Ergo ambo, conscensis equis splendide phaleratis, in publicum procedunt. Alphonfus, aliud omne simulans quam quod mente versabat, celebriora urbis loca obequitando circumibat, quasi ostentandi sui causa. Hærebat lateri frater, nihil suspicans quo illa circuitio spectaret. Ventum erat secus collegii nostri ades. Cum ad eas Alphonfus accedere propius videretur, frater divinans quod erat, equo desilit prior, & januam occupat, prohibiturus objectu coporis ne introiret. Rogabat simul, obsecrabatque fratrem, ne parentibus optime de se meritis tantum luctum inferret. Ille nec oratione motus, & vim facili negotio eluctatus, in ædium interiora se recipit, eademque die tironibus aggregatur. Adest paulo post genitor, sed adeo truculentus & minax, ut fores pulsanti nemo ausus sit aperire. Abiens itaque multo quam venerat iratior, regium, quod vocant, auditorium recta petit, judicum fidem implorat, ab iisque decretum exsculpit, ut educatur e nostra domo novitius, & apud alterius ordinis religiosos quasi sequestro deponatur, donec uberius de ipsius voluntate constaret. Traductus in cœnobium Alphonfus, per sex ipsos dies iis pulsatus est machinis, quas, ut testatur Ognates Provincialis, ægre credituri sint qui non viderint. Habuit quotidie ante oculos utriusque parentis lacrymas, inter quas audiebantur cognatorum amicorumque assidua voces, ne quibus vitam deberet, eos tam gravi & acerbo vulnere confectos vellet. Sed nihil magnopere profuit. Animum, licet ætate adhuc tenerum, ita cœlestis gratia firmaverat, ut nullo rerum humanarum sensu tangeretur. Unum cavebat maxime, ne qua fraude spoliaretur tunica Societatis: eaque propter, quandiu ibi fuit, nunquam ivit cubitum, nisi vestitus. Sexta demum post die certiores facti iudices, non ulla cujusquam suasionem, sed ex animi sui sententia adolescentem dedisse nomen Societati, & factum mutare nolle, eum nobis reddi iusserunt.

